DE
REBVS
Anno 1648. & 1649.
contra
ZAPOROVIOS COSACOS
GESTIS

Vilnæ, Typis Academicis.
SVPERIORVM PERMISSV.
M.DC.LI.

Ad M. D. G.

ÆTERNITATI
HEROVM
De Republicâ & Poſterorum memoriâ
OPTIME MERITORVM
Ex Publico bonorum VOTO

Ad aras integræ Fidei

C. D. A.

ALBERTVS WIIVK KOIAŁOWICZ

S. I. S. TH. D.

Lauda parcè, vitupera parciùs. Nam ſimiliter reprehenſibilis eſt nimia laudatio, vt immoderata vituperatio: illa, ſiquidem adulatione; iſta, malignitate ſuſpecta eſt.

S. Mart. Epiſc. Dumien. de 4. Virt. c. 1.

E. XIX. 402

Copiarum Magni Ducatûs Lituaniæ ADVERSVS ZAPOROWIANOS COZACOS Anno 1648. & 1649. geſta Compendiariò narrata.

ZAporowianæ rebellionis anno 1648. conflatæ, varias vulgus paruo ferè, vt ſolet, veri falſiq; diſcrimine occaſiones iactauit. At verò ſiue perfidia inquietæ gentis, ſiue factioſorum hominum ſcelus, ſiue quidpiam aliud interceſſerit; ante reliqua nimiæ oppreſſionis impatientia prætendebatur: cauſa profectò & Magnatibus odioſa, & ad populi fidem accommodata. Vndecunq; autem ortum habuerit: progreſſus illius, vt perfidis optati, ita Regni Poloniæ Prouinciis valde calamitoſi, facilè ad pares auſus per Prouincias Magni Lituaniæ Ducatûs, agreſtes oppidanoſq; concitârunt.

2. Poſteaquam cum Scytha, quem in Societatem belli fax rebellionis caputq; rebellium

Theodatus Chmielnicius pertraxerat, Zaporowiani ſuas iunxère vires: inprimis modicæ cis Boryſthenem excubiæ ad Flauas aquas facilè ipſa multitudine oppreſſæ, ductorq; illarum (militiæ Polonæ Supremi Ducis filius) cæſus fuerat. Tum ad Corſunium legione vulgo Quartanâ profligatâ, vterq; belli Dux, Campeſtris & Supremus, in poteſtatem hoſtium venerant: & pleræq; per Ruſſiam ciuitates, atq; oppida munitiora, deſertâ proditaq; Republicâ Cozacorum factionem ſequebantur. Tantarum rerum fama, animos eorum, qui Cozacis vt religionum ſimilitudine, ita quotidianis commerciis ac vſu, pluſquàm iuratis fœderibus obnoxii, Ruſſiæ Albæ, Poleſiæq; agros incolunt, nullo omnino negotio ad proditionem apertam impulit.

3. Quanquam verò Zaporowianæ aliquot legiones (quæ ad Czernichouienſis Palatinatûs nobilitatem opprimendam miſſæ, Duce Głowacio in territoria M. Duc: Lituaniæ irruperant) Starodubo, Homeliò, aliiſq; locis proditione occupatis, poſteaquam Sacrorum ritûs Latini hominum, Nobilitatis, atq; Iudæorum

cæde

cæde rabiem exſaturârunt, militem rurſus ex Lituani iuris agris deduxiſſent: accenſa tamen belli flamma cum abeuntibus non reſedit. Ruſticorum enim, atq; operarum ad audendum quiduis plùs nimio exercitatarum (quæ ingenti numero ijs locis inter ſiluas agebant) perduellione, in maius eſt aucta. Paſſim agreſtes & ſuapte & Chmielnicij edictis, occultiſque per opportuna loca ſolicitatoribus, & bello exercitatis ducibus ſubmiſſis euocati, arma ſumere; ſub ſigna turmatim coire: atq; oppida quidem Ruſſæ religionis & Græci Schiſmatis, in ſocietatem Seruilis belli pertrahere; per Curias verò domoſq; nobilium, igne & armis graſſari; Heros opprimere, Sacra polluere, omnia cæde ac vaſtitate implere.

4. Inſano eorum furori primi in M. D. Lit. obuiam ire contenderunt exiguis de proprio contractis copiis: Ioannes Pac Vexilliferi M. D. Lituaniæ celeberrimi Bellatoris Filius; Laislaus Wołłowicz, Notar. Campeſtris M. D. Lituaniæ, & Ladislaus Chalecki. Prior quidem, diu, nullis de publico adiutus impenſis, bellum ſuſtinuit geſſitq; Omnium verò trium in di-

uerſis locis labor hic erat : coéuntes turmas adorti diſſipabant , inſeſſa ab rebellibus loca , aut vendicabant aut infeſtabant: totam quæ circa Boryſthenem & oſtia Berezynæ , ac Fripetij , ora eſt, tutabantur. Submiſſis deinde à Caſimiro Leone Sapieha Procancell: M. D. L. quàm celerrimè fieri poterat , milite atq; apparatu bellico ad retinendam in fide Bychouiam Comitatus ſui ciuitatem , ac firmiſſimum in ea regione propugnaculum , olim à Ioanne Carolo Chodkiewicz inchoatum , ab ipſo Sapieha egregiè perfectum : mox Orſzenſis territorij nobilitate ad arma concurrente : non modò gliſcentis per Bychouienſes , Mohilouienſes , finitimoſq; agros , rebellionis initia repreſſa ſunt : ſed hoſtis etiam à promouendis vlteriùs ea parte armis abſterritus.

5. Orſzana nobilitas, bello periculiſque propior, primis à morte Vladislai Regis Comitijs, quatuor Præfectos militares delegerat , vniuerſa adminiſtrationis ſummâ ad Ducem de Druck Horſcium , Gubernatorem Orſzanum, delatâ. Neq; Horſcius aut tam honorificæ ſuorum de ſe ſententiæ, aut Vitepſcenſis atq; Mści-

ſlaui.

ſlauienſis Palatinatuum precibus deeſſe potuit. Natu iam grandi, viuida adhuc bello virtus, & animus vltra annos, publicæque rei ardens ſtudium, ætatis & curam & reſpectum omnem excuſſit. Octo hebdomades Orſzæ, ne ex ſua abſentia populus factioni ac religioni Zaporowianæ perditè addictus, aliquam turbandi occaſionem ſumeret, moratus: vbi accepit rebellionem à Corſunenſi Polonorum clade viribus ſumptis, latè in omnem partem liberè effundi, ipſe tum ciuilem populum armis habilem, tum vniuerſam nobilitatem recenſuit, filium verò natu maiorem, nobilitatis ſuffragio cohorti nuper Præfectum ad explorandos hoſtiles circa Homelium & Rohaczeuiam progreſſus, miſit. Iam rebelles Czernichouiâ & Nouogrodeco potiti, in Lituani iuris Prouinciâ Starodubum, atq; Homelium quà vi, quà deditione ceperant. Ad eius rei nuncium Orſzana nobilitas ſub ſigna tumultu euocata, locatis ad Mohilouiam 6. Non. Auguſti caſtris, contra hoſtem ſe ſe comparabat. Hactenus quidem Wołłowicio & Mirſcio circa Rzeczycam hoſtiles conatus ſuſtinētibus, per Orſzenſes agros,

vt ple-

vt plena omnia timoris erant, ita ferè vacua periculo: at vbi illorum quoq; copias multitudini rebellium ſuccubuiſſe certis nunciis auditum eſt, tum omnes merito vereri, ne velut aqua rupto aggere in plana, ita totus eius colluuiei impetus in Mohilouienſes & finitimos Albæ Ruſſiæ agros exundaret; omnia ibi expedita ſibi reperturus; vbi oppidani agreſteſq;, non obſcurè in Zaporouianam factionem inclinabant. Promouenda igitur caſtra, & maturè tempeſtati agger obijciendus erat. Horſcius primùm ſub Bychouiam nouam duxit: vbi ex Ioannis Pac cum duabus cohortibus acceſſione auctus viribus, caſtra Rohaczouiam vſq; promouit. Inde variis excurſionibus hoſtis infeſtatus. Pars ad pagum Rektam progreſſi, atque rebellium legionem Homelio Bychouiam tendentem nacti, ſeptuaginta cæſis, 4. Kalen. Septēm. profligârunt, Pars Ductore Conſtantino Miladowski ſexaginta equitum turma Złobinum verſùs directâ, còéuntes ſub ſigna ad Streſzynum rebelles diſſipârunt, cæſis triginta abductiſq; aliquot captiuis, à quibus quòd Słucenſis expeditionis ſocij fuiſſent, cer-

tiora

tiora haberi poterant. VIII. Id.Sept. quinquaginta è Pacianis cohortibus pabulatores fluuium Druc tranſgreſſos, atq; ſecuriùs in pago Lucza agentes, agreſtes ipſi paulò ante à Zaporouianis ad rebellionem concitati incautos oppreſſerunt. Non tamen abiit inultum perfidis ſcelus. Sequenti ſtatim die ab Equeſtri turmâ quotquot intercipi poterant, ferro deleti. Actum deinceps de caſtris aliò transferendis; loco enim hactenus incommodo conſederant: per circumiacentes ſyluas paludoſosq; tranſitus ægrè commeatus conuehebatur, neq; parum damni timeri poterat, ab hoſte locorum gnaro, atq; ſyluis ac paludibus munitionum vice vti ſolito. Retro itaq; exercitus motus, & caſtris locus inter nouam veteremq; Bychouiam opportunè delectus.

6. Noua deinde ſuperuenêre auxilia à Caſimiro Sapieha pars præſidij Bychouiani, nimirum quingenti equites, pediteſque cum duabus machinis bellicis trecenti, à Caſtellano Nouogrodenſi Stetkiewicio cohors vna equeſtris, altera à Duce de Kowel Ioanne Sanguſzko, tertia Palatinatus Vitepſcenſis ductore O-

ginſcio-

ginſcio. Quieſcente interea hoſte, ne per ocium bellandi tempus abiret, collato inter Tribunos conſilio excurſio bifariam decreta. Horſcii filius ſenior ad ſuperiorem Boryſthenis, cum 6 - cohortibus, ripam, Pac & Weys cum 800. militibus ad inferiores ripæ agros percurrendos rimandoſq; abiêre. Quanquam verò aliquot locis, ac præſertim Owtuſzkouiciis hoſtem nacti fuiſſent, ſed quòd paludibus ille ſe teneret congreſſumq; declinaret, nihil ferè maioris operæ præſtitum: pauci duntaxat conſiliorum peritiores intercepti, ac in caſtra perducti. Atque hæc primis eius tumultus menſibus iſthic acta.

7. At Poleſia hoſti furtiuis excurſionibus aſſueto & propinquior & commodior, vt plus periculi ita plus belli habuit. A morte Vladislai IV. Regis Merecii in Lituania, viuis exempti, auctoritate Senatuſconſulti Vilnæ facti, Dux Birzanus Ianuſſius Radiuilus, Ducatus Samogitiæ Generalis Gubernator & militiæ M. D. Lit. Campeſtris Dux, quas poterat in ſubito tumultu opportunè contrahebat copias. Verùm inter ærarij publici anguſtias, quib9 nemo de ſuo,

pleri-

pleriq; de alieno, conſultum volebant; non potuerunt ſic præſidia maturari, ne rebelles maiore numero collecti; totâ ad Pripetium & Berezynam orâ potirentur. Tantum damni eſt ærarium in futuros euentus maturè non inſtruere; ſed pro ratione incumbentis neceſſitatis, tum primùm pecuniam colligere, cùm iam expendi debet. Itaque interea quibuſdam creſcenti in immenſum hoſtium potentiæ tempeſtiuè cedentibus; aliis qui Rzeczycienſe territorium tueri voluerant, exactis: iam ad interiores M. D. Lit. prouincias arma hoſtes promouerant. Fuſo ſub Rrzeczycâ Notario Campeſtri, audaciùs deinde contra Gregorium Mirski Vigiliarum M. D. Lit. Præfectum duxerunt. Miſſus hic à Campiduce cum paucis cohortibus ad ſiſtendos hoſtiles progreſſus, agebat ſuſceptum negotium non impigrè: verùm ad pagum Horwol Berezynæ imminens, ſigna, apertâ acie conferre auſus, cùm multitudine hoſtium opprimeretur effuſo in fugam milite, paucorum ſuamque vitam per fluuium ægrè extulit.

8. Ab hoc ſucceſſu aucti animis rebelles,

non iam ſolùm patentes iniuriis pagos infeſtare, arceſque præſidiis vacuas occupare, verùm etiam ad ciuitatum oppugnationem ſe ſe comparare. Słuckum ciuitas ampla atque opulenta Słucenſis Ducatus caput in propinquo erat. Hanc igitur in primis ſunt aggreſſi. Præſidio exiguo obtinebatur, fides ciuibus Schiſmaticis vt fortè integra, ita apud prudentes ſuſpecta. Accurentibus tamen Minſco & aliunde aliquibus cohortibus; tum Gubernatoris eius loci Ioannis Soſnowski Dapiferi Viln. prudentiâ ac fortitudine, non ciuitas modò ſeruata eſt, ſed etiam rebelles poſt aliquot aſſultus millèque circiter viros amiſſos turpiter & fugientibus ſimiles recedere coacti. Quanquam ad eam fugam longè plus ante humanas vires cœleſte prodigium contulit. Neſuiſienſes paucis leucis & ab hoſte & à periculo diſſiti, ab præſidiis humanis prope vacui, Diuinam opem conſtanter implorabant, per vallorum coronam diuiniſſimo CHriſti corpore in publicâ ſupplicatione circumlato: proximâ nocte delectorum hoſtium expedita equeſtris manus Neſuiſium currebat, ferrum

manu

manu, cædem ac calamitatem animo ferens. Haud procul aberant, cum ex area templi D. Michàëli, ſacri, atque in ſuburbano Neſuiſienſium agro ſiti; Signa equiteſque in ſe ferri conſpiciunt; rati itaque Lituanas copias aduerſùs ſe duci, metu exanimes in fugam abiêre, tumultu & famâ aduentantis Lituani exercitûs, caſtra impleuêre; atq; in fugā impulêre.

9. Interea copias ſtipendiarias, quæ contrahi poterant, ipſe Campeſtris militiæ Dux in Palatinatum Minſcenſem rectà duxit, dubius quo flecteret, ad Boryſthenem an verſùs Breſtiam: itum tamen primò medio itinere. Nulla ibi ferè gerendæ rei occaſio occurrit, hoſte ad copiarum famam in interiorem Vkrainam ſe recipiente. Iam verò Comitiorum, nouo Regi eligendo deſtinatorum tempus aderat: ad quæ cum ſuis prætoriis cohortibus, abiens Exercituum Dux, ancipiti curâ fatigabatur. Nam & illâ parte rediturus hoſtis non ex vano timebatur, & ab alia Poleſiæ parte, quæ Podlachiam reſpicit, nunciabatur: rebelles fixâ Pinſci ſede Breſtianenſi ac Słonimenſi territoriis infeſtos imminere. Itaque vt

gemino

gemino periculo diuiſis copiis occurreretur, militi, quem in caſtris habebat (præfecturâ eius Ladislao Wołłowicz demandatâ) Rzeczycienſis oræ tuendæ negotium reliquit. Capitaneo quoq; Orſzano Horſcio ſcripſit, vt copiis quas apud ſe habebat cum poteſtate præeſſet, atque vltra Boryſthenem in hoſtiles conatus intenderet, collatâ opera cum Tribuno militis ad Rzeczycam relicti. Illa verò ſigna quæ adhuc in itinere hærebant, Pinſcum ac Breſtiam verſùs ad prohibendas à Breſtianenſi territorio excurſiones, ſub Præfecto Gregorio Mirſcio progredi iuſſit.

10. Verùm antequam hæ copiæ deſignatam attigiſſent ſtationem, non leuia iſthic ab hoſte damna accepta. Hactenus ſiquidem priuſquam ad Comitia itum, magno illius regionis commodo, tum Caſimiri Leonis Sapieha Procancell: M. D. Lit. priuatus miles, tum è circumiacenti nobilitate lecti equites, omnem eius territorii infeſtandi copiam hoſti ademerant. At vbi præcipuis quibuſq; ad Comitia abeuntibus, ex imminutione præſidii latus illud nudatum eſt, tum à calamitoſa ad

ſa ad Pilaucos Poloni exercitûs profligatione in omnem partem diffuſæ rebellium prædabundæ legiones, vbi in hos quoque agros exundârunt, non exigua clade haud paucos involuerunt. Breſtiæ, quæ Palatinatûs illius prima ciuitas eſt, cædibus fœde graſſati, non ſacra modò omnia profanârunt: ſed etiam tumulos ſcrutati cadauera & oſſa exhumata fœdè tractârunt. Kobryni Haſtatorum equitum Vincentii Coruini Gośiewski Dapiferi M.D. Lit. cohortem in ſtatiuis hærentem ſub matutinum crepuſculum inſperatò adorti, profligârunt; impedimentis, apparatu equeſtri, equiſque exuerunt. Ad Wiſzniczium, manipulum Caſimiri Tyſzkiewicz Succamer: Breſtianenſis ipſo Duce cæſo diſſipârunt. In Mozyrienſi quoque tractu circa initium Nouembris Ladislao Wołłowicz rebelles ſtrenuè aggreſſo, ſed multitudini hoſtium cedere & Słuckum recipere ſe coacto, tranſgreſſi Swisłocz fluuium latè populationem Drohos vſq; circumtulerunt.

11. Nihilo minores vltra Boryſthenē ab initio rebellium ſucceſſus. Krzywoſzapkâ Ductore circa

circa feſtum Ruſſis Pokrow dictum Sozâ fluuio ſuperato Czerekouiam oppidum ad fines Seueriæ, in Mohilouienſibus agris ſitum inuaſerunt, atque occupârunt. Nundinarum dies erat non infrequens populo, clades igitur ad plures pertinuit. Iudæorum nemo ſuperſtes relictus, negociatorum bona direpta, aduerſæ factionis homines trucidati, ſolus loci Prætor Otroſzkiewicz vir nobilis, ſtratagemate cædem euaſit. Inde rebelles in circumiacentes agros excurrere, atque agreſtes concitare. Mścisłauienſibus ſubditis profligatis acceſſione rebellium validiores, curias, domoſq; nobilium inſperatò incendere, miſerè populari, ipſos heros quos nanciſci potuiſſent trucidare. Non diu tamen impune ſunt graſſati. Horſcius vt quamprimum tot mala ſiſteret, auxiliares copias è propinquis præſidiis ad ſocietatem expeditionis adſciuit: adfuêre maturè Bychouienſis Gubernator & militis Sapiehani Tribunus, Succamer. Vilnenſis Hilarius Czyż, Proprætectus præterea Mohilouienſis Połupięnta, atque è Szkłowia, Sieniawſcii ciuitate, trecenti præſidiarii. Ductæ hæ copiæ

Czere-

Czerekowiam. Neq; hoſtis diu vim tulit : xI. Kal. Nouembr. oppidum expugnatum , mille quingenti rebelles pars ferro cæſi, pars in Soźam ex fuga illati, vorticibuſque hauſti: quibus deinde, milite in diuerſas excurſiones dimiſſo, variis locis aliquot centena capita gladio annumerata ſunt. Quieſcente in propinquo hoſte, Horſcii Gubernatoris Orſzani filius cum centum quinquaginta equitum turmâ Kryczeuiam prætergredi iuſſus, ac circa Popowagoram (inde hoſtis latrocinia diſpenſabat) conſilia rebellium explorare. Adeptus ille ad Biſieczam fluuium, hoſtilem globum, captos Centurionem, ſigniferum, atque aliquot Decuriones, rerum ſuarum in primis peritos, in caſtra adduxit. Ab his intellectum vniuerſas vires contra Bychouiam inſtrui. Itaque vt quò res exigeret, è propinquo, auxilia maturari poſſent, præſidiarius miles Bychouiam atque Szkłouiam repetiit, reliquus exercitus caſtra Białyniczis metatus eſt.

12. Hærentibus iſthîc nunciatur, rebellium turmas per Bobroyſcum, Swisłoczum, Ihumeniam & Berezynam ſparſas. Eò itaque excur-

ſiones

ſiones equeſtres inſtitutæ. Octoginta equites è Połocenſi & Horſciana cohorte lecti, inter Niesietam ac Maximowicze pagos hoſtem nacti, ſeptem ceperunt, centum quinquaginta ceciderunt, reliquos profligârunt. Gemino euentu, alii Octuaginta earundem cohortium equites verſùs Berezynam excurrêre: Pohoſtii incautos, cùm forre inter ceremonias ſacras, quibus pueri Hebræi ſacro fonte abluebantur, ſecuri agunt, oppreſſerunt: 70. cæſi: Centuriones duo, inter ſuos magni nominis, capti: reliqui cùm pugnatur in ſyluas ſe receperunt; atq; inde Berezynam. Miſſi illi fuerant ab Orkuſza, ad Batam Berezinienſium Tribunum, cum nuncio, quo & de Lituano ad Białyniczios exercitu ſignificabatur & ad Bychouienſem oppugnationem auxilia poſtulabantur. At nihilo melior ipſis fortuna tum erat; illi enim quoqne à Ladislao Wołłowicz & Ioanne Dowanaio Berezynæ, eo ipſo die, nimirum 3. Idus Decembris, profligati ſunt. Orkuſza nihilominus, accito Podobaylone, ſex millium copias in 15. ſigna partitus, vt deſtinauerat Bychouiam eſt aggreſſus, Præter præſi-

diarias

diarias cohortes, Sigiſmundus Słuzka Palatinides Trocenſis cum equeſtri ſua leuis armaturæ cohorte, fortè in ſuburbanis ædibus ſtatiua habebat. Prandii tempus erat, atque ſecurè ſatis ac ferè lætè agebatur, cum Orkuſza repentinus irruit. Exiguo virorum damno, maiore rerum accepto, miles properè intra vallum ſe recepit. Hoſtis portis fortiter excluſus, vbi capiendæ repentino inſultu ciuitatis conſilium fruſtra fuit, ad pertinacem oppugnationem vires & ingenium intendit. Rarâ audaciâ periculorumque neglectu oppugnatio vrgebatur. Extenſis brachiis atque ad tranſuerſas perticas alligati agreſtes ante pectus ſaccos terrâ plenos ferentes vinearum vice vallo admouebantur; alii cùm à tergo occultati Sclopetarii in propugnatores certo ictu iaculantur, pars inſigni ferociâ vallum aſcendebant, pars portas ſubruebant. Verùm tum Hilarii Czyz eius loci Gubernatoris, tum Ioannis Weys peditatui præfecti, tum aliorum Præfectorum, militumque, ſingulari fortitudine, non modò à vallo cum clade ſæpiùs reiecti, ſed etiam ſedibus quas inſederant in-

cenſis, ſuburbio expulſi, atque cæſis plurimis penitus profligati ſunt. Ab ea clade impatientiâ amiſſorum commilitonum ferocior. Orkuſza, maioribus copiis Bata quoque adſcito, Bychouienſem oppugnationem inſtaurare, ipſo die qui ferias Chriſto nato Sacras vltimus præcedit, conſtituerat. Monuit maturè ea de re Gubernator Horſcium. Horſcius itaque cum quinque ſignis Orſzani militis, & ſexto Połocenſis Palatinatûs Bychouiam verſûs promouit, atque Workołobouiæ ſubſtitit, intentus in hoſtilia conſilia.

13. At hoſtis, cùm ſeu metu proximorum auxiliorum, ſeu aliâ cauſâ nihil iſthîc tentâſſet Czeczerſcum arma vertit. Significabatur à Makarowiczio propræfecto Czeczerſenſi arcem bis oppugnatam, bis hoſtem inde reiectum, per agros multitudinem ad arma concitare, atque iam mediam ditionis eius partem ad ſe pertraxiſſe: eò itaque properatum. Præibat reliquo exercitui Ioannes Pac cum primis turmis. Sclapini in oppido egregiè munito primum in hoſtes incurrit. Coortâ pugnâ acceptoque vtrinque aliquo damno,

cùm

cùm ſubmiſſis ab Horſcio properè recentibus auxiliis validior iam eſſet Pac, tandem rebelles profligauit atque oppido potitus eſt. Itum deinde opportunè Popouagoram. Nam quòd arx ea ad Biſieczam fluuium ante cæteras eius loci munitior à natura eſſet, è circumiacentibus munitionibus præcipui hoſtium eo conuenire deſtinauerant, locum armis obtinere, ſedeque belli iſtic fixâ èxcurſionibus finitima infeſtare. Nondum eo confluxerant: Quotquot tamen in oppido pagiſque circumiectis intercipi potuerunt, ferro periêre; non multi, ad inquirendum de conſiliis Seruati, ij quoque, deinde pars in palos acti qui nocentiores, pars ferro inuſti, & vitâ ad pœnitentiam donati. Inde digreſſus exercitus, inſtructa in campo acie aliquantùm ſubſtiterat, quòd præſidiarius Szkłowienſis peditatus progredì, ne ſcilicet ab Szkłowia multùm abeſſet, recuſaret.

14. Hærentibus inter eundi redeundique conſilia, nunciatur rebellium Tribunos Krzywoſzapkam & Mikuliczium octo ſignis bellatorum inſtructos, cùm ſecurè Popowagoram peterent, vna inde leucâ de Lituano exer-

citu monitos, trepidè ac properè ſigna in fugam vertiſſe. Miſſus itaque equitatus qui hoſtem perſequeretur. Sed totis frenis effuſos in fugam quamuis omni ope contenderet aſſequi non potuit. Impedimentis, apparatu bellico (quem Mohilouia comparârant) commeatuque vario relicto, aut Starodubum aut Nouogrodecum Seueriæ, contento curſu perlati: pauci Boboniczijs loco munito ad fluuium Ipuſciam Subſtiterunt. Horſcius ſequente die Conſtantino Miladowski datis mandatis, vt tacito agmine repentinus irrueret, oppidum aggreſſus occupauit. Iam reliquiæ hoſtiles metu copiarum Lituanarum quas ingentes eſſe putabant, partim in ſyluas, partim Starodubum euaſerant, neque tamen exiguum eius expeditionis pretium fuit: nam nobiles, magnique nominis matronas, primo bello à rebellibus captas, atque mancipiorum loco ad id tempus habitas libertati ac ſuis aſſeruerunt. Plures fuiſſent niſi hoſtis in fugam abiens, aliquas trucidâſſet. Boboniczijs tres equeſtres turmæ cum Chriſtophoro Miladowski & Zdanowicz ſuis Præfectis

ac Hor-

ac Horſcii filio, cui rei totius ſumma commiſſa, Starodubum miſſæ: Ter ex itinere diuerſis locis cum rebellibus conflixêre, ſingulis victores, tandem Starodubum feliciter attigêre. Deſperatis bello rebus occurrêre inermes aliquot Starodubenſes ciues, ſupplicum ritu. Memores illi, quas pænas Superioris anni ſcelere cum nobilitatem iſthic ſe tuentem inſigni perfidiâ Coſacis prodiderunt, meriti eſſent, vt victores ferrum & iram temperarent, ſupplicabant, quòd ſoli innoxij in oppido ſupereſſent, noxiis metu quà Mhlinum quà Nouogrodecum dilapſis. Nihil itaque damni ciuibus, à victoribus illatum. Nobilibus ſexus ætatisque diuerſæ compluribus poſt miſeram ſeruitutem libertatis & patriæ vſus redditus. Arx præſidio, quòd nullæ pedeſtres copiæ ad manum eſſent, firmari non potuit. Itaque vnius diei duntaxat quiete iſthic recreatus miles, quamprimùm ad reliquum exercitum reductus; exercitus verò quod ibi hoſtem non haberet, Czerekouiam paulò poſt rediit.

15. Inter hos circa Boryſthenem progreſſus, qui Pinſci (quam ciuitatem proditione ciuium nu-

um nuper occupârant) agebant, vt maiore licentiâ, viciniam infeſtam reddebant, ita ſecuriùs domi agebant. Iam miles ad Breſtianenſem paſſum obtinendum, cum Tribuno Gregorio Mirſcio deſtinatus, Chomskum attigerat. Inde prætoriæ Haſtatorum Equitum cohortis Præfectus Samuel Komorowski, adoriendi hoſtem, primam operam ſuſcepit, atque egregiè probauit. Cum aliquot Equitùm turmis ſummo ſilentio progreſſus, atque per idoneos ſpeculatores, quàm ſecurè hoſtires haberentur, edoctus, ſub ipſam Ciuitatem copias admouit. Iuſſò, grauiorem Equitem ſubſiſtere, atque ex loco in ſuppetiarum tempus & occaſionem intendere: Alexandrum Gosiewski Capitaneum Bialenſem, & Matthiam Gosiewski, illum velitum hunc Equitum deſultoriorum, turmæ præfectos, ciuitati immiſit; ipſe cum leuiore equitatu pone ſubſecutus. Fecêre fortiter mandata Gosiewii: iamque ad forum penetrârant, & pugnæ initium fecerant, non minore ſucceſſu, quàm animo. Verùm, cùm exorta repentè ingens pluuia, omnem fiſtularum vſum ferrearum ademiſ-

demiſſet: Cozaci verò intra tecta hærentes, opportunè ſclopis rem agerent; maiore illato, quàm accepto damno, tempeſtati inuiti ceſſerunt. Komorouius autem deductis extra mœnia integris cohortibus ne fugæ aliquam ſpeciem præbere videretur, haud procul conſtitit: miſſo interea nuncio, qui Mirſcium, quo in ſtatu res eſſet, edoceret: vt, re intellecta, aut exercitum integrum propiùs admoueret, aut maiores ſuppetias ſubmitteret: ne in tanta militis paucitate, à propinquo hoſte aliquid detrimenti acciperetur. Aliquot diebus interiectis, vniuerſis copiis ad apertam ciuitatis oppugnationem itum eſt. Fuit quidem hoſti tantùm audaciæ, vt in campum erumpens venientibus ſe obiiceret: ſed non tantùm fortitudinis, vt velitarium cohortium, in quas incurrit, impetum ſuſtineret. Compulſis itaque intra foſſas, illis qui eruperunt, Paulus Niewiarowski Haſtatorum Palatini Smolenſcenſis Equitum Præfectus ſuam cohortem, & Ropii deſultorios equites, aliorumque Præfectorum equeſtres turmas, ad munimentum portæ ciuitatis oppoſitum, duxit: eiectis

eiectis oppugnantium fortitudine è priore foſſa hoſtibus; tormentorum quoque ictibus portâ cedente Szwarczochius cum Equite Germanicæ armaturæ & Alexander Gosiewski cum velite, in ciuitatem iuſſu Tribuni irrupêre: moxque ſubſecuta ſigna è militari famulitio Caſtrenſique familia ſuccenturiatâ. Plurimum quoque operæ iſthic poſuit Lucas Ielski Marſalcus Pinſcenſis vir conſilio manuque promptus. Rebellium Præfectus Maximus Gładki vbi Ciuitatem a Lituano milite obtineri aduertit eruptione in campum, cum equeſtri globo tentata, aut euaſioni aut pugnæ locum meliorem quæſiuit: ſed nullo euentu. Nam diſpoſito commodè armato milite, quà paſſus ad fugam patere poterant, ciuitas maturè cincta: Vnde Maximus cum in Haſtatos Equites Alexandri Połubienski Palatinidæ Parnauienſis incidiſſet, paruo negotio in Ciuitatem reiectus eſt. Subiecto tandem vrbanis ædibus igne, deſperatiſque aliunde rebus, per fluuium via ſaluti ab hoſte quæſita eſt. Peditum pars magna cùm tumultuoſa fugâ naues prægrauâſſet, aquis interiit; equites verò à

cæde

cæde reliqui, beneficio ingruentis noctis ſecundùm ripas fluuii elapſi, & intentarum in fugientes cohortium diligentiam, & inſequentium pernicitatem euaſerunt. Nox ſubſecuta, dieſq; nocti proximus, ciuitati, igni ferroq; vaſtandæ datus: in qua neque ciuibus parcebatur. Æquum nimirum victoribus viſum, vt quos ſocietas rebellionis coniunxerat, commune malum inuolueret. Primis inde caſtris Morolium, ſecundis ſub Noblum ventum eſt, oppidum quinq; leucis Pinſco diſſitum.

16. Interea ab fortunatâ Ioannis Caſimiri Regis electione, ad adminiſtrationem rei bellicæ Dux Ianuſſius Radiuilus regreſſus, reliquas copias, prœſertim quæ ex recenti comitiorum ſanctione lectæ, circa Breſtiam ſubſtiterant, cum veteribus ad Noblum coniunxit: vniuerſas verò ſimul vires, contra hoſtem Turouiæ, ac per finitima loca, morantem mouit. Trifariam diuiſus ducebatur exercitus. Dexteræ alæ per Wołyniæ confinia, ab rebellibus inſeſſa, ducendæ vices obtigêre, Vincentio Coruino Gosiewski: ſiniſtræ, Georgio à Tyzenhaużen Tribuno: me-

dium iter cum fronte aciei, tenebat ipſe militiæ Dux Campeſtris, Radiuilus. Ad condictum diem omnes ſub Turouia conſtiterunt: ſed iam hoſtes loco illo planè deſerto, pars in diuerſa abierant; præcipui Mozyrum delati, oppidum munitionibus ad defenſionem inſtruxerunt. Vbi conſilium hoſtile innotuit, iuſſo impedimenta grauioremque militem ſubſiſtere, cum expedito delectorum militum agmine Mozyrum Dux contendit. Præceſſit aliquantùm Adamus Hilarius Lukianski Pawłowicz cum ſex ſignis ad Owruczenſem paſſum inſidendum, quà & fugæ capeſſendæ, & ſuppetiis recipiendis patebat via. Executus ille eſt imperata in tempore: Dux quoque, ne mora conſilii vim elideret, nocturno itinere maturabat. Ad Naraznowicze pagum vnâ leucâ Mozyro diſſitum conſederant Pawłowiciani: poſitis vndique excubiis exigua ſtatione, vbi Chodorkowscii cohors ſtatiua habebat, neglectâ: quòd ſecurior haberetur. Rebellium Tribunus Michenco, cum fortiſſimis quibuſque noctu excurſione factâ, magna audacia Pawłowicianos ab ea ipſa

par-

parte quam excubiis fuiſſe vacuam diximus, inuaſit; atque nonnihil damni intulit. Nihilominus accurrentibus Matthia Gosiewski, & Wechmanio, tandem integra legione, maiore omnino ſuo damno reiectus atque fugatus eſt: & paſſu quem aſſerere tentârat, in poteſtate Pawłowiczii relicto, in ciuitatem inglorius rediit. Longè grauius damnum intuliſſet, ſi in ſilentio ſepimentis diſiectis ſomno oppreſſos inuaſiſſet: ſed aduſto vino ebrii nihil ſine clamore agere poterant. Sic Pawłouiciani excitati à ſomno, aliquid ſpacii ad capienda arma habuerunt: ita vt ſignifer Wieliczko, cùm fortè veſtes mutaret, vno pede ocreatus altero nudus, ægrè cum ſigno in apertum per medios hoſtes eluctatus, nudipes in ferrea ſtapeda toto conflictus tempore, intenſiſſimo gelu cuncta adurente, perſtiterit. Matutinis ſequentis diei horis ad firmandum quem Pawłowicz pridie occupârat locum, Tribuno Georgio à Tyzenhauzen cum ſua legione dimiſſo, inſtructa acies in conſpectum ciuitatis, quà Turouiâ venitur, prodiit. Vbi detonuêre tormenta, inſultûs ſignum datum cohortibus E-

quitum deſultariorum, vulgo dragonum; dextro quidem latere, ipſius Ducis, Dapiferi M. D. Lit. & Ladiſlai Raiecki, ſiniſtro autem latere Præfecti Elſtnitz. Premebatur grauiter ſiniſtrum latus denſiſſima hoſtilium glo-borum tempeſtate: videbant periculum, qui in propinquo erant Equites; petitoque mox ac obtento Ducis cõſenſu, Tyzenhauzianorũ Commiſſarius Equitum Ganskoſius, cum cohorte ſua Germanicæ armaturæ, dimiſſis equis ſuppetias laborantibus tulit, ipſeque primus hoſtiles aggeres conſcendit: reiectus inde, reſumpto impetu in locum ſemel captum fortiſſimé euaſit: eius exemplo cæteris quoque Equitibus ad pedeſtrem pugnam decurrentibus occupatum munimentum, & re ad manum deducta præſidiarii ad vnum deleti. Non minùs fortiter à dextro latere res acta: perfracta munitione (quæ è trabibus acuminatis terræ infoſſis, atque inter ſe iunctis, ac congeſta à tergo in valli modum humo, more gentis confici ſolet) ingentem cædem inter hoſtes ediderunt, ſimulque ad portam viâ aperta, eſtractis repagulis Equitem in mediam

ciuitatem

ciuitatem acceperunt. Ab tertia quoque parte Tribuno à Tyzenhauzen animos addente, trium turmarum Præfecti, Matthias Gosiewski, Rop, & Vechman cum ſuo milite bis à mænibus reiecti vimineorum corbium vice, trahas lignis onuſtas ante ſe promouendo, vallo ciuitatis ligneo ſucceſſerunt, & depulſis inde ſclopetariis defenſoribus, alteram portam equeſtribus turmis aperuerunt. Per eam cum Gubernator Bialenſis Alexander Gosiewski & Georgius à Tyzenhauzen Tribunus irrupiſſet, hoſtes ancipiti à tergo ac ftonte pugnâ diſtracti, pars obſtinatè pugnando cæſi, pars in fugam, quà poterat via reperiri, effuſi, reliqui domibus incluſi pertinaci pugnæ immoriebātur; vt qui, ædium flammis iam inuoluti, è tectis tamen iaculari non deſinerent. Hac eorum obſtinatione factum eſt, vt oppugnatio cum matutino crepuſculo inchoata, cum nocturnis tenebris deſierit. Chiliarcha Rebellium captus capite carnificis manu præciſo, atq; de turri arcis ſuprema, reliquis pœnarum timore ad officium reuocandis propoſito, ſcelus perduellionis luit. Alter inſigni fortuna lepido-

lepidoque euentu cædem euaſit. Eruperat fortè ex ciuitate; atque pernicitati equi confiſus, prætervehebatur copias, quæ intercipiendis profugis intendebant. Hunc Chodorkowiani vexilli miles Zubko, inſecutus, cùm iam iam manus fugienti iniiciendæ eſſent, ceſpitante equo in niues excuſſus eſt. Equus verò à caſu erectus, relicto Hero Coſacum aſſecutus eſt: in quem vtpote agiliorem ſaltu Coſacus tranſgreſſus, non vitam modò inde ad ſuos extulit, ſed etiam ſpolium. Ita etiam inter ſeria humana, caſus haud illepidè ludunt.

17. Octidui quiete iſthic exercitus recreatus: quòd aliqui captiuorum, recentes rebellium legiones ad ſuppetias obſeſſis ferendas aduenturas, confirmarent. Cùm tot diebus expectatum eſſet, neque ſigna vlla hoſtium comparerent, aut vanos captiuorum fuiſſe ſermones, aut hoſtem accepto de clade nuncio, pedem retuliſſe, exiſtimatum eſt. Quare aliò ducendus fuit exercitus, quò præſentior vocaret occaſio. Commodum ſiquidem incidit, vt per eos dies nuncius veniret, per quem

Notari-

Notarius Campeſtris Ladislaus Wołłowicz, qui legioni ad Rzeczycenſem oram tuendam relictæ legatus præerat, nouas rebellium copias Bobroyſci, ad Berezinam fluuium, à ſe obſeſſas nunciabat: eò itaque caſtra mota & qui nuper ad Turouiam relicti fuerant, cum tormentis, cæteroque apparatu bellico, Bobroyſcum maturare iuſſi. In ipſo itinere alter nuncius occurrit: ex eo intellectum; Hoſtem quod res erat, ſuſpicatum, per modicas Wołłowicianas copias propediem tentaturum eruptionem, quæ maioribus deinde copiis cincto, fruſtra omnino futura eſſet. Ad continendum ergo iſthîc hoſtem, cum delecto milite Vincentius Coruinus Gosiewski Tribunus, & Fronckieuicius Haſtatorum Boguslai Radiuili, M.D.L. Pocillatoris. Equitum Commiſſarius, miſſi. Coruinus feſtinatione, quâ præcipuè momenta victoriarum vertuntur, vſus: nocturno itinere Bobroyſcum tenuit, atq; loca quæ facilis effugii ſpem hoſti oſtendere videbantur, armatis inſedit. Tertio die vniuerſæ copiæ ſuperuenerunt, atque oppidum cinxerunt. Ciues non perfidiæ dolore, ſed de-

ſpera-

ſperatarum rerum metu, cum bello non ſufficerent, ad preces verſi, Sacerdotes Ruſſi ritûs, & Græci Schiſmatis, clementiam Ducis imploraturos expediuerunt. Dux, quanquam videret cauſam talibus deprecatoribus, in quos perduellionis ſuſpicio potiſſima cadebat, odioſiorem redditam: ne tamen oppidanis aggreſtibuſque exciſis, plùs patriæ, quàm rebellibus noceret, vtendum clementiâ meritò ratus, vitæ opibuſque ciuium, integritatem his conditionibus promiſit. Singuli vtriuſque ſexûs in campum extra mænia progrederentur: arma, ſigna bellica, & quidquid militaris apparatûs haberent, ex fide traderent: capita rebellionis, omneſque qui ſeruili bello ſub Coſacorum ſignis meruiſſent, dederent; portas aperirent. Paruêre illi libentes: extrema quippe metuentibus quidquid infra timorem accidit, pro beneficio habetur. Veritus tamen Dux, ne rebellibus interea, inſidiis captandis aliqua occaſio daretur: Gosiewio cum quatuor ſignis negotium dedit, portæ obtinendæ, inſidiarumque auertendarum. Tum primũ Eccleſiaſtici ordinis homines,

deinde

deinde ploratu ſublato fæminæ, denique ciues, rebelleſque ipſi ciuibus permixti, in campum progreſſi. Pars tamen rebellium occupatâ lignea turri, ne viui in manus victorum venirent, ſubiectis flammis ſe & victori & vitæ eripere maluerunt: inter eos fuit ipſe illarum copiarum Tribunus. Hic cùm ardori flammæ ferendo par non eſſet, ſaltu ſe in ſubiectas aquas demiſit: captus, atque ad Ducem pertractus. Rebelles omnes, ab innoxiis ſeiuncti: præcipui in palum acti; reliqui, quòd in Regem & Patriam arma ferre auſi eſſent, manu mulctati: ciuibus vita & bona donata: militi oppidum ingredi, permiſſum. Vlteriorem armorum progreſſum ſtitit nuncius fæderum, quæ regii internuncii cum ſupremo rebellium capite in paucos menſes pepigerant. Quare, Dux quidem ipſe ex continuatis hyberni temporis incommodis febriculâ correptus, curandæ valetudinis causâ Słuckum conceſſit, exercitus autem quadrifariam diuiſus, in ſtatiua circa limites M. D. Lit. abiit. Prætoria Ducis legio circa Rzeczycam, Vincentii Coruini Gosiewski Dapiferi M. D. Lit. ad Bory-

ſthenem & Druc fluuios , Rohaczouiæ ; Ladiſlai Wołłowicz Notarii Campeſtris M. D. Lit. Zahalii ad Pripetium, hyberna habuerunt.

18. Non rebellionis terminandæ ſtudio; ſed metu, ne incommodo tempore, quo Scythica auxilia haberi non poſſent, bellum trahere cogeretur, hoſtem haſce paucorum menſium inducias pepigiſſe, euentus probauit. Non perſanatum erat malum, ſed religatum vulnus. Exactis enim induciis rurſus recruduit bellum. In Lituania, vniuerſis ſtipendiariæ militiæ copiis Rzeczycam, iuſſu Campiducis, conuenire imperatum. Orſzano quoque Gubernatori ſcriptum, vt rurſùs ſui territorii militem ſub ſigna cogeret. Interea miſſus à Chmielnicio Tribunus Cozacorum Hołota, 10. militum millibus (qui numerus ex perduellibus ruſticis, bello aptis, augeri facilè poterat) ſuccinctus, iam Lituaniæ fines tranſgreſſus, Lituanorum copiis profligandis imminebat. Atque ſeu propinquitate loci inuitatus, ſeu quòd eam copiarum partem minùs ad ſuſtinendum impetum comparatam eſſe diceretur, caſtra Zahalana primùm aggredi conſtituit, quibus

bus pro infirmo grauiter atque abſente Legato Wołłouicio, Velitaris turmæ præfectus Falencki præerat; habebatq; collegam Ioannem Donawaium peditatûs præfectum. Tanto verò celandi ſtudio, res à rebellibus acta eſt (perduelles ſiquidem ruſtici, omnia tuta hoſti, omnia infida Lituano militi præbebant) vt priùs cum prorumpente è paludibus & ſyluis inſperato hoſte pugnandum foret; quàm quidquam de eo ſcitum fuiſſet. Falencki cui tunc excubiarum vices incubuerant, primum impetum excepit, quoad reliquis, ad pugnam ex ordine ſuſcipiendam, ſpacium datum eſt. Grauis erat numero hoſtis, & propè caſtrenſi potiebatur munimento: cùm accurrentibus auxiliaribus copiis, atque ante eos Sarnouio, Velitum Vincentii Coruini Gosiewski Propræfecto; Donawaii quoque peditatu, qui commodum inſederat locum, hoſtem denſâ iaculatione fortiter propulſante, non à caſtris modò rebelles reiecti, ſed in fugam & paludes acti, atque penitus profligati. Ductor legionis Lituanæ Falencki eo prælio grauiter è ſclopo ſauciatus eſt: at rebellium Ductor Hołota,

cum exercitu perdito, vitam amiſit.

19. Profligati tanti exercitûs, exiguis vnius legionis viribus, accepto Chmielnicius nuncio, non ex vano verebatur, ne Lituanæ copiæ vlteriùs progreſſæ, Czernichouienſique Palatinatu vendicato, Kiiouiam, inuaderent; indeque poſtrema ſuorum, quos in Polonos ducebat, agmina adepti, nouo bello implicarent. Quod vt meritò à rebellibus metuebatur, ita à Lituanis tentari eo tempore non erat conſultum: translato enim in Czernichouiam vel Kiiouiam bello; iſthic, vbi quotquot agreſtes oppidanique agerent, tot rebellium ſocii eſſent, nullo negotio, inter paludum ſyluarumq; impedimenta, inſeſſis à tergo paſſibus, medii intercipi, atque opprimi potuiſſent. Tentâſſet tamen fortaſſe id conſilii Lituanarum copiarum Dux, Radiuilus Princeps, præſertim cùm legatione Polonorum vrgeretur: ſi aut tantæ ipſi copiæ fuiſſent ad manum, quarum partitio periculo caruiſſet: aut nobilitas quæ per Palatinatus & diſtrictus arma ſumpſerat, finibus tuendis operam nauatura, ſigna hoſti admouiſſet.

20. Chmielnicius autem, vt etiam ea, quæ non tentabantur pericula, à ſe auerteret (vt ſemper in proſpiciendis auertendiſque periculorum occaſionibus, magis nimium eſſe Ducem expedit, quàm incurioſum) Podobaylonem Tribunum cum duodecim millibus exercitatiſſimi militis cis Boryſthenem expediuit, cum iis mandatis, vt vltra confluentes Boryſthenem & Sużam caſtris locatis, ripas vtriuſque fluuii foſſis aggeribuſque permunitas, quacunque tranſitus tentari potuiſſent, tueretur: neué ſe aperto prælio committeret. Fecit cuncta ex ordine Podobayło, quacunque imperuiæ armatis paludes non obſtarent, operibus ad aliquot milliaria, per interualla, excitatis. Loiouienſem quoque arcem ac oppidum in aduerſa Boryſthenis ripâ ſitum, ne aliquam Lituano militi ſtatiuorum in proximo habendorum tormentiſque ſuarum ſtationum impetendarum commoditatem relinqueret, exuſſit.

21. Dux militiæ Lituanæ ne tam prope (paucis enim milliaribus hic locus Rzeczycâ aberat) impunè hoſtis ageret, relicto ad Rzeczycam

czycam obtinendam ſufficiente præſidio, caſtra Loiowum mouit. Terreſtri itinere cum apparatu bellico, Equeſtres copiæ ſunt ductæ. Dapifero M. D. L. Gosiewski commiſſum negotium, peditatûs vniuerſi ſecundo flumine nauibus deportandi; vt cùm ab Loiowo Equitibus inſeſſo, vexilli prolati agitatiq; ſignum excenſioni faciendæ datum fuiſſet, copias in aduerſam ripam exponeret, locum infeſtandis hoſtilibus ſtationibus, ad oſtium Sużæ Boryſtheni illabentis, opportunum occuparet. Non parum ſiquidem momenti erat, à quo is locus obtineretur: qui quamdiu in poteſtate hoſtium eſſet, neque ſuperuenientibus tardiùs ſignis, neque commeatui deducendo, expediti aditus paterent. Dato ſigno expoſuit Gosieuius militem, atque fuſis, qui excubias agebant, hoſtibus, operas ad foſſam ducendam aggeremque excitandum admouit, ſclopetariis hinc & inde aſſiduam globorum tempeſtatem continuantibus: cùm illi opus turbare, iſti laborantes protegere nituntur: à dextra quoque ripa tormentis bellicis in hoſtiles munitiones detonantibus, nox opportu-

nè ſuperuenit. Nam tenebrarum beneficio ab ictibus ſecuri, ante lucem, aggerem ad hoſtilis valli altitudinem prouexerunt, ſtationem ad premendum infeſtandumque ſclopis maioribus hoſtem, percommodam. Abierunt deinde aliquot dies in apparatu aſſultûs vniuerſis ſimul viribus tentandi: ſed nouus nuncius, curas ad propria caſtra auertit.

22. Ex captiuis perduellium compertum fuerat, Cozacorum exercitum validum, à Chmielnicio, aduerſus Lituana caſtra expeditum, non poſſe procul abeſſe: vbi interim locorum verſarentur, aut quo impetum conuerſuri eſſent non conſtare: illud vt propius vero dictum, acceptumque, flexo in auerſam caſtrorum partem itinere, ad Rzeczycam priùs bellicæ fortunæ experimẽtum probaturos. Attributi itaq; milites mille Adamo Pawłowicz, vt cum eo præſidio Rzeczycam feſtinaret: excurrere item cum delecta aliâ mille Equitum manu Samuel Komorowski ad Pripetii ripas iuſſus, vt vel hoſtem à traiiciendo fluuio arceret, vel ſi imparem ſe eius viribus aduerteret, explorati aliquid quamprimum referret. At

Krzycze-

Krzyczewski, legatus Chmielnicianarum copiarum, iam ante, triginta millium exercitu tranſportato, Rzeczycæ è ſyluis imminebat: Cùm verò oppidum Chelmecz à tergo caſtrorum Lituanorum inuaſiſſet, & nocturnâ Schiſmatici Popi proditione occupâſſet, militarem familiam quæ commeatûs causâ eo excurrerat, aut cecidiſſet, aut cepiſſet: vbi ex captiuis intellexit Rzeczycam aucto præſidio ſat validè firmatam; caſtra autem tum delecti militis excurſione, tum abducto Rzeczycam præſidio, tum peditatu prætoriano cis Boryſthenem hærente, longè quàm alias infirmiora: ad eorum oppugnationem, contra Centurionum Tribunorumque ſententiam, animum & ſigna conuertit. Quo in negotio tam diligentem operam ruſticorum habuit, vt euitatis Komorouianis Pawłouicianiſque excurſionibus, ſummo ſilentio ſub caſtra admotas copias, vnâ inde leucâ, opportunâ ante prælium quiete recreârit.

23. Pridie Kalendas Auguſti Anni 1649. aliquot ante meridiem horis, ex primis hoſtium qui in pabulatores caſtris proximos repentè ef-

tè effuſi ſunt, indicium periculi ſumptum: & capiendorum armorum, iuſſu Campiducis, ſignum datum. Inſperata illa tempeſtas, tantâ multitudine incubuit, vt circumiacentes caſtris agros penitus armatis inundârit; tanta celeritate, vt iam per negotiatorium forum, inermis plebis cædes ederetur. Attamen quia præmonitus de periculo ab aliquot iam diebus & ipſe ferè armatus miles agebat, & equi inſtructi habebantur, non eſt receptum bellum intra caſtra. Primus per proximam portam Lucas Chodorkowski Prætoriæ Velitum turmæ Propræfectus, cum modico ſuorum globo (quibus paulò ante ab excurſione reuerſis, arma adhuc & equi in expedito erant) in medium ſe hoſtem intulit. Quadringenti præterea pedites, pars patrio more, pars Vngarico armati, illi Petro Podleckio, hi Iuſzkiewicio ductore, ad torrentem caſtris propinquum, deſertis molendini caſis ſuccedentes, primum ruentium in caſtra impetum denſiore globorum imbre effuſo, ſtitêre. Exigua hæc mora æquioris pugnæ fecit initium, ſpatio equitibus ſub ſigna concurrendi relicto.

Erupère in campum cum haſtatorum equitum cohortibus, Dapifer M. D. Lit. Goſiewski, & Paul. Niewiarowski celebris legionum Ductor, nunc pro Palatino Smolenſcenſi, eiuſdem Equitibus Præfectus. Iunctis viribus (vbi quadringenti illi pedites globorum ictibus paululùm hoſte ſubmoto procurrendi locum aperuerunt) tanto impetu in ſiniſtram hoſtium alam ſunt inuecti, vt eam campo pulſam in ſyluas reiecerint. Cozaci verò ſyluas more ſuo pro munitione nacti, equis deſiliunt & pedites, inſequentem Equitem ſclopetorum ictibus excipiunt. Strages non leuis viros intere-quoſq; edita: Chodorkowski medio pectore traiectus, Vincentius Coruinus Goſiewski pede læſus, Niewiarowski integer ipſe, equum amiſit. Pulſi nihilominus hoſtes loco, atque in profundiores ſyluas abacti.

24. Cùm tria hæc Equeſtria ſigna, non ſegniter hoſti inſtant; pars Cozacorum occulto tramite ad peditatum inter caſas latentem ſe applicuerat, & ſcloporum vſu adempto pugnam ad gladios deduxerat. Adfuère in tempore periclitantibus Reynholdus a Tyzen-

hauzen

hauzen cum peditatu Germanicæ armaturæ, & Noldius cum deſultoriis Dapiferi M. D. L. equitibus; atque hoſtem inde procul exegêre. Qui Cozacorum in acie adhuc ſtabant, cùm circa caſtra pugna non ſuccederet, ad Equites illos, quos pugnandi ardor longiùs à caſtris abſtulerat, intercipiendos circumducere ſigna cæperant. Fuiſſetque illis non leue ſubeundum periculum, niſi in tempore noua ſuperueniſſent auxilia. Samuel Komorowski Vexillifer Wilcomirien. nuper cum delectis ad explorandũ dimiſſus, & quàm primùm in caſtra reditum maturare iuſſus, redux ab excurſione illa, in pugnantes hoſtes incidit. Adortus itaque magnâ vi à tergo nihil ſperantes, non metu modò ſed & ingenti cæde impleuit. Ita ancipiti vtrinque prælio intercepti, rati maiores copias, ex deſtinatis inſidiis ſuperuenturas, in fugam effuſi, ad ſyluas ſe receperunt. Perpurgatus vndique hoſtibus (niſi qui cæſi, aut ſemiuiui paſſim iacebant) quem modò inſederant vniuerſum, campus; opportunuſque cum Komorouio fortiſſimorum militum reditus, non animos tantùm ad pugnam, ſed

 ſpem

ſpem etiam ad vrgendam victoriam excitauit. Stabat iam in acie, auidus pugnæ vniuerſus miles: hoſtis autem nullibi extra ſyluas comparebat. Quare captiui de numero copiarum, deque conſiliis ſuorum quæſiti. Reſponſum; frontem aciei carragine cinctam, cum apparatu, & peditatu delecto, recto itinere progredi: legiones verò aliquot pedeſtres, in auerſam caſtrorum partem intentas, per medias ſyluas aditus opportunos quærere. Vincentio Coruino Gosiewski negotium datum, ab ea parte hoſtis, ſi comparuerit, reprimendi. Vix ille ad deſignatum cum ſua legione campum peruenerat; cùm hoſtis ingenti numero è ſyluis effunditur. Inuectus eſt, cum equite in uenientem intrepidè Gosiewski. At Cozaci ad eludendum impetum, intra paludes ſe receperunt: hinc denſiſſimâ è ſclopis plumbea grandine emiſſâ, non leuem equis viriſque cladem intulerunt: cui incomparabile momentum acceſſiſſet, equo ex duplici vulnere amiſſo, ipſe legionis Præfectus Gosieuius; niſi directo in pectus eius globo, anterior armorum lamina ſuffeciſſet; & illi quidem vitam,

tam, Reipublicæ autem inſignem virum, parentis ſui, Sarmatici Herois, Alexandri Coruini Goſiewski, Palat: Smolenſc: Martiis veſtigiis, non inæquali paſſu inſiſtentem, ſeruâſſet. Reuocare itaque reliquos equites gradum, extra ſclopi ictum, iubet: deſultorios verò ſclopetarios, modico ſyluæ circuitu, in latera adductos, ſcloporum ictibus, hoſtem inter paludes hærentem, in campum impellere. Vbi id cæptum feliciter ceſſit, atque à paludibus hoſtis recedere coactus in aperto conſtitit: ab equeſtribus turmis cinctus, internecione deletus eſt.

25. At non vnâ parte pugnandum vincendumque erat, vt eius diei integra victoria eſſet. Nam cùm variis locis contra rebelles, animosè ac feliciter res adminiſtratur: Podobayło (quem cis Boriſthenem, in ſtatiuis duodecim millia militis habuiſſe memoraui) collegæ Krzyczewio ad expugnanda Lituana caſtra ſuas vires collaturus, infra pugnæ locum florem peditatûs per Boriſthenem tranſportabat. Edoctus eâ de re Dux, Præfectum wulgo Maiorem Iaſperſium & Capitaneos

Przypko-

Przypkouium, Ropium, Boltium ac Mongomorium mittit; vniuerſis Ganskoſium præficit, cum mandatis, vt fluuii tranſitu arceatur hoſtis. Morâ ab illis peccatum nihil eſt; ſed poſt tardum nuncium, non potuêre ita feſtinatò mandata impleri, vt Cozaci præuenirentur. Iam illorum aliquot millia in ripam expoſita, extemporaneis ſe foſſis muniuerant: nauibus præterea quas ad ripam habebant, veluti aggere pectus muniti, ſclopoꝛum ictus deſtinatò vibrando, impunè ferè incurrentes, ſimul iterumque reiecerunt; ductoribus pleriſque vulneratis. Iam eò Dux ipſe, ſummâ curâ aciei penes Mirſcium relictâ decurrerat, euocatis ſecum equeſtribus aliquot turmis, deductiſque leuioribus tormentis. Acceſſione oppugnatorum factâ, cùm inde circumductus exiguâ ſemitâ equitatus, in latera fortiter incurriſſet; inde à fronte tota mole peditatus incubuiſſet: Cozaci vim non ferentes magno tumultu in fluuium ſeſe proiecerunt. Quos extra aquas victor miles occupauit, ferro hi exciſi: qui proiectis ſclopis, nando per fluuium (tanto numero, vt

conſpe-

conſpectus aquæ ad longum interuallum eriperetur) traiicere ſunt conati, aut vorticibus hauſti, aut deſtinatis è ripa globorum ictibus confecti, perierunt. Fructus eius cladis fuit, quòd qui vltra Boryſthenem reliqui erant, nihil ampliùs tentârint.

26. Superueniebat interea carrago, ad cuius oppugnationem Gregorius Miricius, Samuel Komorouius, Paulus Nieuiarouius, comparati, & in commoditatem intenti, in acie ſtabant. Primus Reynholdus à Tyzenhauzen ſingulari audaciâ, ac fortitudine, cum ſuo peditatu, auxiliiſque ductorum Noldii & Vechmanii, munimenta ac repagula curruum perrupit. Proruperat è ſyluis, quæ hactenus latuerat Cozacorum innumera multitudo ad carraginis defenſionem, ſed irrito omnino conatu. Nam prærerquam, quòd ſub eorum conſpectu carrago fuerit direpta, peditatuſq; deletus: ipſi quoque ab Equeſtribus copiis partim cæſi, partim in ſyluas profligati. Krzyczeuius vbi tot locis perditas res vidit, neque aperto modò campo, ſed per ſyluarum quoque receſſus victoriam vrgeri: quà profundior denſior-

denſiorque ſylua erat, truncis variâque materiâ, atque adeo ipſis cæſorum iumentorum, ac hominum cadaueribus, & glebâ ſuperingeſtâ, mirâ quadam & arte & celeritate, ſed iis hominibus vſitatâ, ſepimentum militare iuſtæ altitudinis excitauit, aſyllum reliquiis lacerarum legionum. Commodè per idem tempus ſuperuenerat prætorianus Ducis peditatus è ſtatiuis, vltra Boryſthenem ſitis cum Præfecto Ottenhauzenio ad ſuppetias euocatus. Recentes itaque vires contra hoſtile vallum experiri iuſſus erat: iuuerunt ſuapte oppugnationem equites, dimiſſis equis: ter reiecti ſunt, non abſque cæde multorum. Præcipuus occubuit Chriſtophorus Kotowski pacis bellique artibus vir commendatiſſimus, cùm aliis ſe ductorem præberet, iamque in vallum euaſiſſet, maiore globo traiectus.

27. Accenſus vincendi ſtudio miles, & tantillum plenæ victoriæ obicem non ferens, totis viribus in toties victum hoſtem ire ardebat. Verùm imminentes cum nocte tenebræ, ad animos lentioribus conſultioribusq; cōſiliis, temperandos, atque in ſequentem diem ſer-

uandos

uandos reuocârunt. Nocturno enim tempore inter auia nemora, vt facilis, ſyluis aſueto hoſti, ad inſidias captandas occaſio dari poterat: ita graui & fatigato militi, neceſſariò declinanda. Accedebat quòd in diuturna aſſiduaque oppugnatione pleroſque peditum, globi defeciſſent. Deducta itaque ſigna in caſtra, diuinoque Numini ſolemnes gratiæ hymno DD. Ambroſii & Auguſtini publicè in caſtris decantato actæ. Ne verò aliquid deſperatione actus hoſtis per nocturnas tenebras auderet; caſis deſertis, ruderibuſque nauium opportunè extra caſtra accenſis, lumen totis caſtris commodatum. Qua parte cum reliquiis exercitûs Krzyczeuius hærebat, ad vigilias agendas deſignati, Vincentius Coruinus Gosiewski Dapifer M. D. Lit. cum ſuo haſtato, & velitari equitatu, Tribunus Georgius à Tyzenhauzen, cum equitatu germanicæ armaturæ, & Commiſſarius ab Ottenhauzen, cum prætoriano peditatu. Accidit, vt cùm hæ copiæ è caſtris progrederentur: Pawłouicius verò cum ſuis; atque aliæ cohortes, recenter caſtra ab alia parte ſubirent; ſpeculatores hoſti-

les rati oppugnationem inſtauratum per noctem iri, trepidâ fugâ ad ſuos regreſſi, omnes falſo rumore implerent. Hinc trepidatio, mox & fuga omnium : deſertis ordinibus, ac ſignis, imò & ipſo Duce copiarum. Albeſcente die lixæ ad legenda ſpolia, prædamque captandam, vlteriùs à caſtris progreſſi, munitiones hoſte vacuas repererunt, ſauciis variè ſparſis, interque eos ipſo Krzyczeuio. Hunc è vulneribus viribus deſtitutum ac vix animæ retinentem, cùm geſtatorio ferculo deportandum impoſuiſſent, creſcente tumultu, ac metu, inter impedimenta fugæ, rebelles abiecerant. Acceptus itaque in plauſtrum, atque ad caſtra deductus: ibidem paulò poſt non rebellionis pudore, ſed amiſſi exercitûs dolore plenus, infelicem animam exhalauit.

28. Dux militiæ Lituanæ animatum tanto ſucceſſu exercitum, optabat ad proſequendam victoriam promouere: ſed obſtabat commeatuum in ea regione, extrema inopia, in qua miles etiam corticibus arborum contuſis, cogebatur non tam vires reficere, quàm famem obtundere, vt vitam traheret. Non

minor

minor pyrii pulueris defectus vrgebat. Quare Rzeczycam rurſus caſtra mota, vbi commeatu apparatuque bellico copioſiùs inſtructus miles, opportuniùs in omnem occaſionem excubare poterat. Significatum erat Ciecierſcii oppidi agitari à Cozacis oppugnationem: verùm cùm primo aſſultu nihil profeciſſent, ad famam venientis cum copiis Vincentii Gosiewski cui ſoluēdæ eius obſidionis cura commiſſa fuerat, maturè Homelum ſe receperunt. Per eoſdem dies redierat ab excurſione ad Pripetium facta Vexillifer Palatinatus Nouogrodenſis Matthias Fronckiewicius, cum eo nuncio, quòd ſexaginta millia Cozacorum per eundem fluuium ad Babicas oppidum tranſportentur, inſtauratura Lituanorum Caſtrorum oppugnationem, ad Krzyczeuianæ cladis abolendam ignominiam. Neque minores animi Lituanis copiis ad eam colluuiem excipiendam, præſertim poſteaquam è Bychouienſi Procancellarii M. D. Lit. Caſimiri Leonis Sapieha propugnaculo, neceſſarius commeatus, atque bellicus apparatus caſtris eſt inuectus. Verùm poſt pacta ad Zborouum fœdera, com-

poſitoſque Ioannis Caſimiri Regis felicitate ad pacem rebellium animos, Legatus Chmielnicii Moyſzyłowski miſſus, Cozacos vlteriùs progredi vetuit, & caſtris Lituanis literas Regias, quibus pax nunciabatur, attulit: tum ex arcibus quæ adhuc in rebellium poteſtate erant, præſidia deduci curauit. Ita propitio Numine finis huic expeditioni impoſitus. Vtinam verò, etiam vniuerſo bello! At ferè ſeruiles auſus, pacem non admittunt, niſi cum opprimuntur: inter felices ſucceſſus quieſcere non poſſunt; quia inſolentes ſpes tractare, ac temperare ad modeſtiam, non conſueuerunt.

DVCIS IN WISNIEWIEC ET LVBNIE HIEREMIÆ MICHAELIS KORIBVT

Palatini Ruſsiæ , Gubernatoris Kaniouienſis &c. .&c.

Contrà Cozacos Zaporouios A. 1648. geſta compendiariò narrata.

EXcitato præter omnium expectationem Zaporouiano bello, priuſquam qui confinia incolunt proceres pro ſuo more, ac in patriam ſtudio, auxiliares copias coniunxiſſent: Duces militiæ Polonæ ſolâ Quartanâ ſtipendiariorum legione bellum conficere aggreſſi, cùm exiguam manum audaciùs hoſti admouent, calamitoſam ad Corſunium cladem 7. Kal. Iun. acceperant, tum à Ruſſi generis gregario milite proditi, tum ipſa multitudine

Scytharum, atque Zaporouiorum oppreſſi. Ex contemptu ferè (qui plerumque victoriarum fructus eſt peſſimus) hoſtium, haud ſemel antea exiguis Polonorum copiis profligatorum, auxilia expectata non ſunt. Verùm longè iam alius hoſtis erat, quàm qui ad contemptum, opinione aliquorum, ac ſermonibus, fingebatur: non enim repentino tumultu conflatus, ſed conſilio lectus: peditatûs Zaporouiani, & Scythici equitatûs, inſolitâ hactenus ſocietate, validus.

2. Dux Wiſzniewiecius vltra Boryſthenem verſabatur, cùm motus iſti cierentur. Vbi verò rem ad arma veniſſe, bellique ducibus ſub multitudine hoſtium rem in arctò eſſe audiit: copias auxiliares quamprimum conuocare, Boryſthenem versùs maturare, traiecturus fluuium ad Oryſzcze pagum. At hoſtis iam prælio ſuperior vt Ducem interciperet, aut ſubductis, aut merſis vbique ratibus, ripas latè inſederat. Oſtentabat Corſunenſia ſpolia: iactabat immatura auxilia ab eo cogitari, qui ipſe vix ſuæ poteſtatis eſſet. Iam enim ex Corſunenſis cladis nuncio, oppidani agreſteſ-

que,

que, ac præſertim qui longo vſu Scythicis bellis exerciti fuerant, per vniuerſam Wisniewiecii Seuerienſem ditionem, contra Rempublicam, Herumque proprium, arma corripuerant. Ancipiti planè malo Dux interceptus, non diu conſilii dubius hæſit: ad ſubigendos ſubditos Lubnios duxit. Mox cæſis rebellibus, exciſiſque non paucis oppidis, ac pagis, quanquam pleraque adhuc loca domanda ſupereſſent, ad Reipublicæ incolumitatem priùs curandam animum & copias conuertit. Neque minus illi ſtudium erat, qua ratione Poloni nominis, Romanæ religionis, Equeſtriſque ordinis homines, in quos ſolos ſuſceptam coniurationem aduertebat, barbaræ rebellium immanitati ereptos è Seueria in ſecurum exportaret. Itaque cùm inde aduerſum Boryſthenis littus hoſtilibus legionibus latè obtineretur, inde ab immenſa colluuie indies ex agris concurrente maior cum morâ tempeſtas ingrueret: militem, variamque cum caſtris vtriuſque ſexûs ac ætatis turbam, versûs ſupernam Boryſthenis oram promouere cæpit. Sperabat enim fore, vt vel audaciores hoſti-

um inſequendi auiditate longiùs ab exercitu abſtracti alicubi in pugnæ opportunitatem pertraherentur, vel certè idipſum ſubueriti, tandem ab inſequendo ſuapte deſiſterent. Poſtremum accidit.

3. Wisniewiecius verò vbi Lubeczium applicuit, quanquam ab altera parte, omnia hoſte plena non ignoraret, nemine amiſſo, caſtra, militem, & imbellem turbam per Boryſthenem traiecit. Neque Coſaci quidquam prælio tentare auſi. Imò pleriſque, quæ occuparânt, locis deſertis, pars Białocerkwiam, pars Kiiouiam conceſſerunt: alii Krzywonoſio ductore, per villas, prædiaque Polonorum igni ac innoxiorum cæde populationem barbarè circumferentes, de crudelitate mærori ſuo leuamen quæſiuère. Wisniewiecius Brahynum ſuæ ditionis oppidum progreſſus, ætatem ſexumque bello inhabilem in ſecura dimiſit: ipſe cum delecto milite, imperterrito in pericula animo, per inſeſſos rebellium legionibus agros, quacunque hoſtis occurrit ferro & victoriis aperta viâ Zytomiriam, atque inde Kotelniam penetrauit: haud procul ſtatiuis

Biało-

Białocerkwienſibus, vbi robur exercitûs, caputque rebellium Chmielnicius hærebat. Miles Wisniewiecianus paucis, duo millia bellatorum, ſuperabat: vt proinde meritò quiſque mirari poſſit, & Wisniewiecium tantâ paucitate hoſti ſe è propinquo obiicere auſum, & Chmielnicium nihil mouiſſe. Cùm ergo iſthìc ſeu inertia, ſeu conſilio hoſtium, auido pugnæ Duci otium armorum fieret, Pohrebyſczos, quam nepotum ditionem à Krzywonoſio occupatam nunciabatur, copias duxit. Sed ille latrociniis, quàm prælìis melior, exſpoliatâ ciuitate, Catholicæ religionis hominibus ſtudioſè conquiſitis, atque medio in templo necatis, iam prædam inde omnem & militem ſubduxerat tempeſtiuè. Wisniewiecius in ipſo templi limine, ex miſerabili ſpectaculo, diuinæ maieſtatis omniſque humanitatis proculcatæ iniuriis illachrymatus, quæſtionem in magiſtratum ciueſque inſtituit. Cur nimirum rebellibus ciuitatem prodidiſſent, hoſti ferendo & loci munitione & propugnatorum copiâ non impares? Quorum indicio Romanæ religionis homines ad cædem eſ-

ſent protracti ? Qui à rebellium factione ſtetiſſent ? Non diu noxii latuêre. Cùm quiſq; vult ſe ſeruatum alio perdito, omnes mutuis indiciis innotuêre.

4. Sumptâ de noxiis capitis pœnâ, ac vix dum rebus iſthîc compoſitis, Niemirouiam ciuitatem amplam & incolis frequẽtem, Coſacis portas aperuiſſe nũciatur. Ita ſchiſmatis Ruſſi cum hoſte ſimilitudo, nihil Polonis fidum relinquebat: ſed omnia coniurationis ſocietate, rebellione, ac Catholicæ fidei odio, impleuerat. Ipſe Dux illuc quoque vindictam & ferrum, contra rebelles ferre decreuerat: ſed precibus conſiliiſque ſuorum, vt in maiores pro Republica concertationes caput ſeruaret, perſuaſus; viris bello expertis id negotii dedit. Peregêre illi rem ex voto. Tacito agmine ſub mœnia delati, inſperati ciuitatem occupârunt. A ciuium cæde temperatum. Coſaci quotquot intercipi poterant, ferro deleti. Indomabile malum perfidia eſt: vbi ſemel radices animo egit; ſi ferro non excinditur, beneficiis ferè non opprimitur. Ciues ad vitam & fortunarum vſum ſeruati, ex beneficio nihilo in fide

conſtan-

conſtantiores, palam cum confeſſione culpæ, deprecationem doloremque violatæ fidei præ-tendere: clam vetera recoquere ſcelera. Coſacos ad inuadendam Niemirouiam ſolicitare, omnia ad delendum Polonum præſidium pro-na polliceri. Subodorati, quod res erat, præfe-cti præſidio, tanquam ignari omnium, permi-ſerunt perfidos deſtinata agere: locum nihilo-minus occultato milite opportunè inſederunt; vnde ciuitatem aggredi, hoſtem inter ac ci-ues, conſtitutum fuerat. Cæſis eâ arte Coſacis, ciues in ſcelere deprehenſi, rurſus ad preces & lachrymas. Miſſi properè, qui apud Wi-sniewiecium paucorum dolo tentati facinoris veniam poſtulent: omnium nomine conſtan-tiam ſpondeant; ſi deducto maiore præſidio, centum aut ducenti ſclopetarii, vulgo drago-ni, ad ſuſtinendam hoſtium vim relinqueren-tur. Facilem ad poſtulata inuenêre optimum Principem. At rebelli genti ſua in Polonum nomen manſit perfidia. Paucis interiectis di-ebus, vbi Coſaci ſub mœnibus apparuêre, ci-ues ipſi in præſidiarios arma ſumpſerunt: op-

preſſiſque, qui cladem fugâ euadere non potuerant, Coſacos intra mænia receperunt.

5. Non vanus inde Duci dolor, animum in vindictam impellebat: ſed quòd conſtans fama eſſet hoſtem vndique legiones in vnum contrahere, maturè occupandus locus erat, vnde iunctis ſimul viribus ſumma belli opportunè adminiſtrari poſſet. Collatis itaque cum fortiſſimo bellatore, Palatino Kiiowienſi Ianuſſio Tyſzkiewicz conſiliis, recenſo inſtructoque milite, atque carragine ordinata, Pohrebiſcis Hrycouiam mouit, caſtra ad Conſtantinouiam metaturus, loco campeſtri, neque incuriosè munito. Berdyczouiâ interim à Tyſzkieuicio nunciatur poſſeſſiones eius miſerè ab rebellibus diuexari: Machnowcam ſub ferociſſima oppugnatione iam propè perire. Wisniewiecius quanquam optimè nôſſet, quantæ hoſti à multitudine vires eſſent: munitis nihilominus Hrycouiæ caſtris, relictoque ad præſidium grauiore milite, cum expeditis Machnowcam accurrit. Iam ſepimenta, aggeres, portæque, multitudini inſanorum more ferociter per aperta pericula enitenti ceſſerant,

rant,

rant. Potiti ciuitate, pars prædam ſcrutabantur per domos: pars cænobio ſtrictioris diſciplinæ Franciſcanorum, expugnato, barbarè in ſacros homines ſæuiebant: pars exiguam militarem manum, quæ ex lignea arce fortiter hoſtem remouebat, ſeque tuebatur, flammâ cinctam, ad necem eliciebant: cùm admiſſorum ſcelerum vindicem Wisniewiecium, cum ſuis aduolare audiunt. Conuerſi ſtatim ad portas, aggereſque obtinendos, & arcendos ingreſſu Wisniewiecianos. Serenitas in repentinam pluuiam mutata, vſum ſclopoorum rebellibus ademerat: ita ad rem manu gladiiſque eminùs agendam compulſi. Non diu tulêre militem, vbi gladio ac virtute res agitur, fortiſſimum: amiſſis, neque paucis neque ex vulgo, in fugam effunduntur, prædam deſerunt, equis diffiſi pedites ſe in paludes abiiciunt. Strages ingens, inter pugnantes æquè ac fugientes, edita. Proximum campum obtinebat caſtris Krzywonoſius, earum copiarum Legatus: ſed pauci eò incolumes euaſerunt. Neque ipſi Krzywonoſio maiores ad prælium inſtaurandum animi: dolore & terrore

rore plenus, viam, quâ tutior fuga, circumſpectabat. Inclinatâ in noctem luce, multorum conſiliis actum perſuaſumque, vt reliquum tam prælii quàm victoriæ ſequenti diei ſeruaretur. Dolebat Wisniewiecius impetum victoriæ abrumpi: eſt enim quædam ineſcato ex vincendi ſucceſſibus militi, ad continuandam fortunam ſingularis virtus: ſed victo hoſte, cedendum erat ſuorum conſiliis.

6. Deſignatis ergo cohortibus, quæ, in hoſtem intenderent, reliquæ copiæ ad curanda quiete nocturnâ corpora reuocatæ. Hoſtis verò opportunitate non ad vires colligendas, ſed ad euadendi occaſionem vſus, per primæ noctis tenebras, proiectis impedimentis, maximo ſilentio, ſequentis diei & pugnæ & fortunæ, ſe ſubtraxit. Wisniewiecius quoq; Hrycouiam rediit. Inde rebelles magno numero haud procul Cudownâ conſidentes, repentinis excurſionibus per interualla carpebat, cùm Połonnâ periclitari accepit. Ciuitas ea erat Lubomirſcii Pal. Crac: ad Volhyniæ fines opportuno loco ſatis munita: arcem quoq; habebat ad omnes muniendi numeros in paucis abſolutam,

lutam'; commeatu,apparatu, præſidio bellico, abundè inſtructam. Vniuerſa hæc contra externam vim comparata erant. At nihil hoſti inaccesſibile, quo ſemel perfidia penetrauit. Incolarum atque præſidiariorum partem præcipuam faciebant, Ruſſi potentiâ primi; linguâ, gente, religione, rebellibus populares: hi apertè ad Zaporouianos inclinari. Id nobiles qui ad eam arcem velut aſylum concurrerant, non ex vano ſuſpicati, pars maturè abierunt, pars à Wisniewiecio auxilia petierunt. Reſpondit ille maturaturum ſe quantùm poſſet, ſed viciſſim petere, vt hoſtilem oppugnationē aliquantùm ſuſtineant. Nam cùm conſtaret Krzywonoſium ab ipſis Połonnenſium perduellibus inuitatum, quadraginta millia ad eius loci oppugnationem deſtinâſſe, res plena temeritatis erat, cum paucis Połonnam petere. Expectabatur tantiſper recentium copiarum acceſſio. Non procul ducentos ſupra mille pedites ſclopetis librandis exercitatiſſimos Oſinski Caſtrorum Magni D. Lit. Magiſter, in ſtatiuis habebat. Opportunum profectò auxilium, niſi ad aliorum, quibus parebat, imperia,

ria, non ad Wiſniewiecii vota, moderari conſilia ſua coactus, aliò flexiſſet iter. Perdita itaque tum eſt Połonna, vt magno omnium dolore, ita inſigni oppidanorum proditione. Conſcia plebs, quid Ruſſis præſidiariis conſtitutum eſſet, ante pugnam portas Coſacis aperuit. Præſidiarii ſponte rebellium acceſsêre numero. Iunctis deinde viribus cædes in Polonos, ac Catholicam Religionem profeſſos, barbarè exercita: plerique ferro perierunt, paucos fuga per auerſas portas ſeruauit.

7. Wiſniewiecius, ne integram ex eo ſucceſſu voluptatem hoſti relinqueret, Połonnâ Conſtantinouiam versùs procul dubio ductuſ ros, ex itinere aggredi decreuit. Atque cum ad Roſſołowicze pagum, loco ad vnam leucam Conſtantinouiâ diſſito, Magnatum aliqua præſidia, Tyſzkieuiciumque Palatinum, ac Oſinium Tribunum, cum Legionibus ſuis, reperiſſet: iſthîc conſedit. Nondum vltra millia quatuor vniuerſus bellatorum numerus aſcenderat, nihilominus cùm Krzywonoſium totam belli molem illâc ducere ſignificaretur, caſtris in omnem euentum ex ordine inſtructis

ctis, delectum militem ad prohibendum tranſitu hoſtem audacter obiecit. Adhuc aciem ordinabat; cùm Krzywonoſius ab alterâ tranſitûs parte, quinquaginta millium colluuiem ſub ſignis produxit, conſpicatuſque Polonos ad pugnam comparatos, properè à tergo aciei carraginem militari more firmauit: tum ad prælii curam verſus, ita milites ac præfectos hortatus eſt, duxitque in Polonos; tanquam impetu ipſo exiguam illorum manum obtriturus. Interiacebat paludoſa planities media inter vtrumque exercitum: hanc non aggere aut ponte quæſito, ſed rectà ingreſſi rebelles, confertiſſimis agminibus impleuerant. Sclopetarius, ac præſertim Oſinianæ legionis, miles, densâ ſcloporum tempeſtate, inter confertam multitudinem magnam ſtragem edebat, hoſtemque ſtrenuè arcebat: non potuit tamen in tanta hoſtium copia caueri, ne cùm alii pugnant, pars magna, curſu propè, pontem tranſiret. Sed neque hi equeſtrium turmarum impetum ſuſtinuerunt: effuſi in fugam latè, terga cædi præbuerunt. Krzywonoſius cum præcipuis Præfectorum, fugâ in carraginem elapſus

pſus, multum nocti debuit, quæ victores ad caſtra reuocauit. Sequente die ex acciſo pridie milite, ſpiritu quoque audendique animo minor, ne nihil ageret; magis videbatur, cum milite tranſitum velle ſuperare, quàm conabatur. Nimirum non iam audentis, ſed metum diſſimulantis, conſilium illud erat. Perdito enim pugnandi animo, æſtimationem apud ſuos retinere ſatagebat. In eum quoque finem ſuis edici iuſſit, vt omnia ad prælium ſequentis diei comparata, expeditaque haberent. Iam ſol meridiem attigerat, cùm hoſtis ita in campum ſuos produxit; vt lunari acie Wisniewiecianos incluſos, ancipiti prælio inuolueret. Conſtitêre ex aduerſo Poloni. Dextram alam Tyſzkieuicius ducebat; ſiniſtram Wisniewiecius. Confertiſſimis primùm agminibus, in frontem ac latera per cænoſa nitebantur hoſtes. Wisniewiecius non tranſgredi tantùm eos in campum paſſus, ſed etiam vt plures ad cædem acciperet, ſuos ſeruatis ordinibus aliquantùm cedere iuſſit. Hoſtes ex cedentium ſpecie fugam interpretati, audaciùs per paludes eniti, campoque maiore nume-

ro inferri. Tum verò Wiſniewiecius ſigna in hoſtem verti monet, atque concitato curſu ita ferri, vt à ſclopis, ac iaculis, ad manum & gladios prælium reuocetur. Poſt effuſam aduerſo vento, & exiguo damno, ſcloporum hoſtilium tempeſtatem, vbi collato pedi pede, Mars atrox gladiis ſæuire cœpit, citò prælium in cædem abiit. Mox fuga hoſtium ſubſecuta. Victor miles cadaueribus cæſorum ſeſqui leucam ſtrauit: quadraginta militaria ſigna, tormenta maiora ſex & reliquum belli apparatum eripuit: præfectos plures, Tribunum Połuianum, viuos cepit. Iam etiam in caſtris trepidabatur, atq; vt ferè vulgo ab euentibus & fides & fraus, plebs agreſtis in præfectos conſpirare cœperat: atque fortaſſe debellatum fuiſſet iſthîc, ſi ab ea victoria miles ad caſtrorum oppugnationem iuiſſet. Verùm & pedeſtres copiæ cum tormentis longiùs aberant, & nox imminens, ſiſtere victoriæ curſum cogebat.

8. Per noctem Krzywonoſius vallo atque foſsâ ſeſe communiuit. Wiſniewiecius verò, quòd ita feſſum continuato aliquot dierum la-

bore exercitum haberet, vt laboris intolerantiâ, viri equique extinguerentur, opportunâ quiete militem recreaturus, ad oppidum Czołhański Kamień dictum, caſtra ſua mouit. Krzywonoſius quoque pudore ac ira plenus, ad Chmielnicium rediit: vbi ne inter militare vulgus impar bellicis rebus audiret, Barii expugnationem promiſit Præſtitit breui promiſſum, non ſua virtute, ſed Ruſſorum proditione: qui & ciuitatem ſponte dedidêre, & oppugnandæ arci vires ſuas coniunxerunt. Suſtinuit diu arx feroces agreſtium in coronam aſſultus; præſidio, quod paulo ante ingreſſum arcem fuerat, fortiter rem agente: at tandem multitudini ceſſit. In immenſum iam creſcebant rebellium copiæ: Ruſsis oppida eorum fidei ſponte cedentibus, oppidanis atque agreſtibus nullo delectu ad caſtra conuolantibus. Laboratum itaque vehementer à Ruſsiæ & Kiiouiæ Palatinis, vt ſtipendiariæ legiones totuſque Reip. exercitus ad ſiſtendos vlteriores progreſſus feſtinaret. Nihil enim iam ferè momenti, paruis copiis contra grauem numero hoſtem tentari poterat.

9. Adſu-

9. Adſuêre deinde vniuerſæ Glinianis Reipublicæ copiæ, cum Ducibus ab Interrege ex Senatuſconſulto deſtinatis: vnde Wisniewiecius qui per abſentiam bellicorum ducum, Palatini Ruſſiæ titulo, fortiter ac feliciter hactenus cum paucis rebelles ſuſtinuerat, ſub ordinarium Reipub: imperiũ, donatis quæ fortè intercedebant ſimultatibus, libens conceſſit. Promotis mox Conſtantinouiam caſtris, ipſa venientis exercitûs fama Oſtaphonem Tribunum cum ſuis in fugam inde eiecit. Conſtantinouiæ in conſilio ſententiis certatum de gerendi belli rationibus. Wisniewiecio, vt hactenus conſuêrat, placebat, permunitis iſtîc caſtris, expedito ab impedimentis milite, rebellium robur aggredi: Verùm ſub alieno imperio, alia conſilia præualuêre. Itum totis caſtris ſub Pilaucios. Poſt vnum alterumque diem infeſtando premendoque hoſti feliciter datum: cùm alii fortunata initia fortiter vrgent, ex nuncio Scythicarum legionum magno numero ſuperuenientium, Pannicus terror repentè vulgatus, promiſcuè omnes, ipſaque rei capita, in fugam auertit. Plena omnia tumultu erant. Palam

iam

iam fugiente abſque hoſte exercitu, Wisniewiecio claua Imperatoria miſſa, vt cum poteſtate exercitui præeſſet: at, rupto ſemel aggere, cùm toto impetu aquæ in plana ruunt, quis mortalium repentè ſiſtat? Ab ea clade, inſolentique ſibi euentu, nihilo minor animis Wisniewiecius, Leopolim accurrit: atque cùm ſuum penè ſolum caput ab hoſte quæri nôſſet, ne præſentiâ ſua pertinaciam eius acueret, rebus ad futuram propugnationem ordinatis, Zamoſcium primùm, deinde ad Comitia conceſſit. Ibi ex vniuerſæ Reipublicæ voto, contra paucorum factionem, Supremus exercitûs Imperator renunciatus, cùm laceras legiones ad reparandum perditum rei militaris ſtatum, hoſtemque reprimendum colligit, inſperatum armiſtitium, quod ad Electi Regis venerationem rebellium caput ſuis imperauit, vlteriores curas ſtitit.

REGII EXERCITVS
CVM TAVRICANI PRINCIPIS COPIIS
Anno 1649. ad Zborouiam congreſſus, Compendiariò narratus.

I.

EXercitus Polonus cum Militiæ Ducibus, quintam iam hebdomadam arctiſſimâ obſidione aliquot centenis Zaporouiorum, atque Scytharum millibus cinctus, inter grauiſſimas, ac propè continuas oppugnationes ad Zbaraſiam tenebatur: neque ſolùm cum hoſte, qui quòd ipſe quoque quiete egeret, per interualla tantùm, vniuerſas vires exerebat; ſed etiam cum fame indefeſſo oppugnatore, atque repentinarum obſidionum ineuitabili malo, extremè conflictandum erat. Flos Regni militiæque Polonæ, propè ſub vnico ictu iam agebat, niſi in tempore auxilia maturarentur.

2. Quare Ioannes Caſimirus Rex, Princeps

animo ad ardua ſuſcipienda vaſto, copias quamquam ab numero non ſatis validas (nam aliquorum conſiliis interceſſum fuerat, ne tumultu publico vniuerſus Equeſtris ordo ad arma maturè concurreret) contra tantam hoſtium multitudinem ipſe duxit. Decimo nono Kal. Sept. cum ſtipendiariis, honorariorumque bellatorum legionibus, oppidum Zborouiam attigerat. Paulò ante, quarto ſcilicet Id. Auguſti, captiui Scythæ ab exploratoribus in caſtra regia perducti, confirmârant Theodatum Chmielnicium rebellium Ducem, & Tauricanum Regulum, vulgò ſupremum Tartarorum Chanum, à Zbaraſiana obſidione certò diſceſſuros, cùm regia caſtra admoueri audîſſent. Crediderim facilè, non ex vano ea ab captiuis dicta; ſed ex publico popularium ſenſu. At vix vlli incertiores de belli rationibus rumores, quàm qui ad vulgus ſparguntur. Non alius ſiquidem in vſum occultandorum conſiliorum modus frequentiùs venit, quàm vulgando ea in publicum, quæ maximè diuerſa ſunt à deſtinatis. Hæc tamen captiuorum confeſſio, vt facilè apud pleroſque fidem

reperit

reperit, ita ſecuritatem, cladium bellicarum præcipuum fontem, latè per caſtra regia propagauit. Creuit malum, cùm ad famam viſorum in propinquo Scytharum, manipuli explorandorum circum locorum causâ, duce Gdeſzyński dimiſſi, vt rem planè compertam retulerunt, omnia ſecura prorsùs hoſteq; vacua.

3. At Chmielnicius atq; Chanus partiti multifariam copias ingentes, cum delectiſſimo Equite haud procul à caſtris aberant. Quadraginta millia Tartarorum, Ducenta millia Zaporouiorum; pars media militariter, altera agreſtem in morem armata, Zbaraſianæ obſidioni continuandæ remanſerant. Quindecim millia Tartarorum per Wołyniam, quadraginta alia millia ductore Kuraż Murzâ Regulo Oczakowienſi Pokuciam verſùs ad agrorum vaſtationem dimiſſa, ſex millium auxiliares copiæ contra Lithuanum exercitum ablegatæ, vt cladem 30. millium cum duce Krzyczeuio nuper profligatorum, iunctis cum Zaporouiano milite viribus vlciſcerentur. Ad Tarnopolim quoque pars exercitûs relicta, vt iſthinc in Regios tranſitum attentantes inten-

 derent

derent. Charus ipſe centum viginti millia Tartarorum, Chmielnicius octoginta millia Zaporouiorum, delecti militis, ſub ſignis contra Regem ducebant: atque eâ ipsâ nocte ad pagum Mieynowe dictum ſtatiua, loco vnâ circiter leucâ à caſtris Regiis diſſito, intra quercetum habuêre, regiis tam propinquum hoſtem ignorantibus; cùm tamen fama ſit eadem nocte Chmielnicium Zborouii præſentem adfuiſſe, ac loca accuratè contemplatum, ſingula in craſtinum ex ordine ad inuadendos Regios diſpoſuiſſe. Qua in re vt non dubito, nihil fortè ab Regiis negligentiâ peccatum: ita certum habeo, omnem illorum induſtriam, inſigni agreſtium (Zaporouianæ factionis ac religionis hominum) perfidiæ ſuccubuiſſe. Compertum, eos ex præaltis arborum verticibus, quos inſederant, ſingula ſpeculari ſolitos fuiſſe, atque circumcurſantibus Scytharum manipulis indicium maturè edere, ne quà in Regios incurrerent.

4. Progreſſuro vlteriùs exercitui perquam difficilis tranſitus ad oppidum Zborow ſuperandus erat. XVIII. Kal. Sept. Deiparæ Virgini

ad

ad ſuperos translatæ ſacer, ſerenâ aurorâ illuxerat. Profectione matutinis horis conclamatâ, accelerabatur iter maiore ferè ſtudio, quàm profectu. Nam quamquam plurimùm operæ in muniendo bifariam ponte Arciszewius pridiè poſuiſſet: ſerenitate nihilominus, ſeu aſtrorum vi, ſeu (quod de aſſuetis ad hæc flagitia, perfidiſque, facilè creditum eſt) artibus magicis, in nebulam, pertinacemque totius diei pluuiam degenerante: locus & ſuapte naturâ, & præteritis imbribus cænoſior, intra anguſtas vias, mirè omnia implicabat, morabaturque. Tormentis & apparatu bellico in vlteriorem ripam ægrè tranſportato, priuſquam carri cæteraque impedimenta ſuccederent, miles præire iuſſus. Pars equitatûs, & ſex millium peditatus, iam in æquum euaſerant. Rex inter Kiiouienſem, Podolienſem, Bełzenſemque Palatinos, Sendomirienſem & Brasłauienſem Caſtellanos, Cancellarium item Regni, Procancellarium M.D.Lituaniæ, ac Ducem de Korzec, equeſtres copias partitus, ſingulis eorum decem ſigna leuioris armaturæ deſtinauerat: cum iis mandatis, vt ſuo quiſ-

 que

que loco conſiſteret, donec caſtris idoneus locus caperetur, atque ex ordine permuniretur. In curam caſtrorum Rege intento, cùm ad Equeſtres illos Tribunos vix dum mandata Regia, nedum attributæ cohortes, perueniſſent: vbi curribus promotis (vt inter anguſta impeditaque itinera accidere eſt neceſſe) caſtrenſis res tumultuari cæpit, ad inuadendos tot malis implicatos Regios àb ipſis perduellibus oppidanis ſignum hoſti datum. Vt primùm enim campanum æs, velut ad ſtatas Diuinæ rei horas pulſatum, ab oppido inſonuit: mox ad eum ſonum prolatis per circumiacentes campos facibus; è latibulis erumpens hoſtis in Regios inuehi cœpit.

5. Ab auerſa caſtrorum parte infeſtatio hoſtilis incœpit; neque tamen, ab iis qui præceſſerant, pugnam cieri credebatur. Fuêre qui militari licentiâ clamorem quempiam fortè ſublatum, non in pugna tumultuantium ſtrepitum illum eſſe, quem audiebant, dicerent. Ita ex opinione ſecuritatis, nihil minùs quàm hoſtem ſperabant, præſertim cùm conſpectum nebula denſior eriperet. At iam pugna

reuera

reuerà erat. Pars curruum haud procul à loco, quo ſtatiua eius noctis habita ſunt, euitatâ viâ, quæ rectà ad oppidum ducebat, flexerat per aggerem iter ad læuam, præmiſsâ paucarum cohortium manu. Iſthic coortus è proximis collibus ac nemore hoſtis, facilè vt in ſubitis inſperatiſque ſolet, paucos illos milites oppreſſit, curruſque aliquos diripuit. Regiis deinde ſe, ac currus maturè ad rectam viam recipientibus, plùs damni ab ea parte acceptum non eſt. Grandiùs longè à tergo malum incubuit: quà hoſtis, cùm agreſtium operâ, aggeribus infra ad plures leucas apertis aquas deriuâſſet, cænoſoſque paſſus aliquantùm vadoſos equiti ſuo reddidiſſet; Regios ingentibus copiis atque ferociâ inuaſit. Partiri exercitum, ſimulque aliquot locis prælium inſtituere, nec operoſum erat, neque periculoſum, tot millibus ſuccincto. Putabat etiam, qui contra hoſtem rectà ducentibus plerumque mos eſt, tota curâ, bellique robore in frontem conuerſis, auerſam caſtrorum regionem, & ſecuriorem haberi, & negligentiùs adminiſtrari. Obortâ deindè ſpiſſiore nebulâ

bulâ ac cœlo pluuio, cuncta ita ſilentio geri poterant, vt priùs arma ſentirentur, quàm ſigna conſpicerentur. At verò multùm ſemper ad victoriam confert, terrore priùs opprimere hoſtem: neque faciliùs is terretur, quàm cùm inſperatò pugnare cogitur. Equeſtres fortè è Regiis copiæ, à Palatinatu Præmislienſi ac Duce Zasłauio Palatino Cracouienſi miſſæ, ductore Koryccio nec dum ſe caſtris coniunxerant, ſed ad leucæ vnius ſpatium ſubſtiterant. Hanc manum tanto interuallo à ſuis auulſam inprimis barbari aggreſſi ſunt. Egêre animosé ac fortiter Regii, quamdiu ſub multitudine barbarorum, virtus paucorum laſſata non eſt: ſed magno numero recentibuſq; barbarorum turmis ſuperuenientibus, tandem Præmislienſes profligati, impedimenta direpta, Zasłauiani ægrè iam hoſtem ſuſtinebant. Vbi laborare eos, neque multùm ab interitu abeſſe, Procancellario Lituaniæ Caſimiro Sapieha & Caſtellano Sędomirienſi Witowski ſignificatum eſt, iunctis vterque animis viribuſque, in hoſtem ſuos duxêre. Edita eſt inter barbaros inſignis ſtrages, miles reliquus

extremo

extremo periculo ereptus, trames quem hoſtis inſederat penitus aſſertus.

6. Reuerſis deinde victoribus ad priorem ſtationem, ex qua ab ſiniſtro caſtrorum latere hoſtiles conatus auerterentur: Koryccius vbi ad repetendum amiſſum paſſum maiore numero copias hoſtiles contrahi aduertit quòd ferendæ multitudini tantæ imparem ſe ſentiret, maturè ſuos ſub oppidum recepit. Hoſtis verò citra pugnam, traductis eo paſſu in æquiorem locum legionibus, cùm per nebulam nihil eminus diſpici poſſet, in proximam Procancellarii Lituaniæ Caſimiri Leonis Sapieha ſtationem planè repentinus inuectus eſt. Nam quòd eum paſſum adhuc à Koryccio obtineri exiſtimaretur, hoſtis indè haud ſperabatur. Conſpicatus Procancellarius grauem numero hoſtem in ſuos ſigna ferre, quamquam ad manum nonniſi ſeptem cohortes equeſtres (quòd ex mille trecentis militibus, quos propriis ſtipendiis in illud bellum duxerat, potior pars aliò ab Rege deſtinata fuiſſet) haberet, tantillâ manu hoſti animosè occurrit. Præerat vni ex iis cohortibus Chriſtophorus

rus Sapieha, quatuor verò Palatinatûs Breſtianenſis, Felicianus Tyſzkiewicz: vterque eo prælio inſigniter de patria meritus. Iam Felicianus quacunque ſe ferret, cædem latè per barbaros ſecum circumferens, aliquot vulneribus confectus occubuerat: miles tamen, ac reliqui ductores nihilo ex eius morte timidiores, tam diu non animos, non prælium remittere, donec graui clade illatâ hoſtem loco mouêre. Ceſſit enim ille aliquantùm, mox auctis copiis in arenam præliumque ferociùs rediturus: ſpatium tamen interea reſpirandi datum Sapiehanis. Si, quæ in proximo ſtabant, Palatinatûs Ruſſiæ turmæ in tempore acceſſiſſent, dubio procul tantum damni acceptum non fuiſſet. Sed nemo iſthîc vnus, cum ſuprema poteſtate præerat; qui ſingulos in ſua intentos, ad communis boni curam reuocaret.

7. Nunciatum fuerat Regi, iam ab ea caſtrorum parte pugnari, atque Procancellarii ſtationem premi. Rex equeſtribus copiis firmandis, ſex turmas pedeſtres eò quàm maximè properare mandat. Krzeſznenſis erat vna; altera

altera Cracouienſis Præfectorum, duæ Corniakti, duæ Procancellarii Sapieha: ſed ab equite hoſtili in itinere interceptæ, facilè obtritæ ſunt. Ita Sapiehanis eâ ſuppetiarum ſpe deſtitutis, tertiùm cum hoſte confligendum erat: confertiſſimis enim agminibus barbari rurſus prælium inſtaurârant. Pugnabatur vtrinque acriter: cùm ab hoſte numerus, à Sapiehanis virtus, grauem mutuò pugnam facerent. Poſt triplicem eo die conflictum, quo ſex ſolidas horas, ſeptem duntaxat turmæ, ferocem numero hoſtem ſuſtinuêre, ferè omnibus ſauciatis, vltra ſexaginta cæſis, atque inter eos viginti nobilioribus, cùm equi etiam viribus deficerent, tandem Sapiehani fatiſcere: neque tantùm ſuo, quantum ipſius Ducis ſui Procancellarii præſente periculo angi. Pereundum profectò fuiſſet omnibus, niſi Haſtatorum Cataphractorum Equitum Præfecti, Heròés militaribus artibus commendatiſſimi, Caſtełlanus Sędomirienſis Witowski, & Gubernator Stobnicenſis Oſſolinski, turmas ſuas contra hoſtem mouiſſent. Conſpicatus enim hoſtis ſigna haſtaſque in ſe ferri, paululùm

 pedem

pedem retulit ; ita ſpatium expediendi ſe ab illo reliquis Sapiehanorum relictum. Laceræ cohortes, ſauciique milites intra caſtra recepti: ductor ipſe poſt deploratam ab omnibus ſuam incolumitatem, velut rediuiuus ab Rege cum gratiis acceptus. Diuinâ Deiparæ Virginis ope eum in tanto periculo ſeruatum, minimè ambigo ; cùm ſciam ad venerationem eius diei, qui Aſſumptæ ad ſuperos Deiparæ erat ſacer, ſuum militem Chriſtianis Corporis diuini myſteriis refici curâſſe, atque cùm ab armigero mane lorica porrigeretur, eam non induiſſe, palàm proteſtatum contra omnia pericula diei ſacræ præſidium ſuffecturum. Duæ porrò illæ haſtatorum turmæ prioribus hoſtium ordinibus primo impetu ſtratis, cùm magno animo, gladiis cominùs hoſtem vrgent, à circumfuſa vndique multitudine cinctæ, in ancipitem ab omni parte pugnam viribus non ſufficientibus, propè internecione ſunt deletæ; Caſtellano quidem Sędomirienſi poſt fortiſſimum cum hoſte conflictum ad ſuos incolumi euadente: Stobnicenſi verò Gubernatore, vel cæſo, vt prior fama obtinuerat; vel

vt aliquorum deindè ſermo fert capto, & genus ſuum induſtriè occultante. Neutra tamen harum pugna, hoſti incruenta accidit, cùm, vt propriâ eius confeſſione conſtitit, minimum mille ducentos bellatores deſiderauerit. Procurrêre deindè Scythicæ legiones contra nobilitatem Palatinatûs Ruſſiæ haud procul caſtris, ſub ſignis ſtantem: ferociâ inſolitâ inuecti, ſingulari fortitudine ſunt accepti. Amiſſis audacioribus fortioribuſque ſuorum, tandem multitudine ipſa paucos oppreſſerunt. Quadringenti vniuersùm cecidêre; atque aliqui milites, armis exercitati: reliquis caſtrorum propinquitas ſaluti fuit. Ex edicto Tauricani nemo viuus in poteſtatem accipiebatur, ſed abſque delectu in pugnantes æquè, ac cedentes campo, cædes exercita. Neque minor, circa impedimenta curruſque, tumultus erat. Ferox à priore ſucceſſu hoſtis, in ipſa propè caſtra direptis obuiis curribus, penetrabat. Vbi cùm hoſtem non repellunt modò, ſed etiam longiùs inſectantur Capitaneus Vrzędouienſis Rzeczycki, & Magiſter caſtrorum Czarnecki, ipſi occubuêre. Repulſus tandem,

quamquam ægrè, hoſtis eſt: atque inter continuas infeſtationes, currus ac impedimenta per cænoſum tranſitum in tutiorem locū ſubducta.

8. Interea ab anteriore caſtrorum parte, res propè ad iuſtam belli ſpeciem deducta eſt. Rex conſpecto hoſte, copias quæ iam in æquo conſtiterant, pro temporis ratione, ad pugnam expedit: mediam aciem à fronte ac tergo firmabat peditatus, Ductoribus Vbaldo, & Volfio viris militiâ ſtrenuis. Ille ſtipendiarium reipub: militem, hic prætoriam Regis legionem ducebat, adiunctis ſupplementis tum aliis, tum ſexcentorum Germanicæ armaturæ peditum; quam manum Procancellarius Lituaniæ Sapieha propriis ſtipendiis lectam Lublini Regi attribuerat, atque deinceps de ſuo ſuſtentabat. Dextrum latus attributum Cancellario Regni, obtinebant Regiæ Aulicæ cohortis, & Denofii Præfecti Sokalenſis, Equites, atque aliæ equeſtres turmæ Palatini Podolienſis, & Palatinatûs Belzenſis. Pro ſiniſtra ala ſtabat cum ſuis legionibus Dux de Korzec, & Puzowski, qui honorariorum, (vulgò volūtariorū) propriâ curâ lectorum cohortes

hortes octo ducebat, aliique variarum cohortium Præfecti. Deſultorii porrò equites, vulgò Dragonarii, partim ad oppidum Zborow, partim ad aggeres, qui pro caſtris excitabantur tuendos, partim in alios belli vſus diſtributi. Tormenta quoque opportunis locis collocata.

9. Tartari è ſylua minoribus primùm globis campo ſe infundebant, tum maioribus agminibus ſolitâ celeritate in ſubiectam planitiem aduerſus Regiam aciem decurrerunt. Qui minimũ dicunt, ſexaginta millium eam hoſtilis exercitûs partem fuiſſe aſſerunt. Quia verò non tam ſtatariâ pugnâ, quàm variâ concurſatione prælia tranſigere huic genti vſus eſt, diſperſi priùs per campos (ad pabulandum non ad prælium comparatos, ignarus moris diceret) oberrabant : tum celerrimè ad vnum agmen conglobati, in dextrum regiorum latus vniuerſâ ſimul mole incubuerunt. Verùm hic impetus à pedeſtribus copiis effusâ grandi globorum tempeſtate, auerſus eſt, ſtante inter hæc immotâ equeſtri dextræ alæ acie. Hoſtis itaque citò ac curſu, pugnæ ſe inde ſubtraxit : atque ſeu periculi metu, ſeu alio quouis

uis occulto conſilio, flexo ad euitandam mediam aciem gyro, in ſiniſtram alam longè maiore ferociâ inuectus eſt. Acerrima vtrinque còórta pugna, neque paucos, neque vulgares, hinc atque inde abſtulit. Sub ingenti numero barbarorum, pauci Regii ſenſim deficere, atque adeò haud parum de campo hoſti concedere: præſertim vbi ipſorum Ductorum, rem non conſilio tantùm, ſed & manu fortiſſimè adminiſtrantium, periculis conſternari cæperunt. Occiſo equo Dux de Korzec ægrè diſcrimen euaſerat. Pozouius quoque ita dextra infrâ oculum genâ ſauciatus eſt, vt ſagittæ acies per læuam emineret: è tam periculoſo ictu in commoda publica à ſuperis pro merito ſeruatus. Hic vt erat ſaucius ad Regem properè delatus, quo loco res eius alæ eſſet, & quantùm inclinata, edocet: maturas laborantibus ſuppetias poſtulat. Rex igitur ad primos ordines prouectus, ſubſidia opportunè ſubmittere, ſtricto enſe, clarâque voce omnes cohortari, ne Regem, ne Patriam, ne Maiorum ſuâque virtute olim partam Gloriam proditum irent. Eâ cohortatione ſigna

ad

ad cedendum inclinata, rursùs in hoſtem magno impetu rediêre. Semel, iterumque hæc viciſſitudo ab vtraque parte, recipiendi ſe in tutum, redeundique in aduerſos tenuit: cùm Tartari totis viribus connixi, ita Regios campo ſubmouerunt, vt extremi ordines intra caſtra receptum quærentes, penè bellum in caſtra admiſerint. Hîc Rex imperterrito media inter tela animo, illæſoq; (quæ ſingularis prouidentis Dei clementia fuit) corpore, non modò gradum loco non referre, ſed in ſingulos euentus conſilia promptè expedire; cedentes, quà iniecta frænis manu, quà intentato enſe, ad pugnam animare: præſidiariis quibuſdam cohortibus, cùm fortè prætensâ Præfectorum abſentiâ in hoſtem ire tergiuerſarentur, ipſe ductorem ſe offerre. Res erat, non verba. Iam ante ſigniferos ruebat, ducturus ſigna, quà atrociſſimus Mars: niſi Primores Curialium, ac præſertim Lituaniæ Pocillator Caſimirus Tyſzkiewicius, ad curam Regiæ perſonæ, quâ ſolâ maximè Reip: ſalus conſiſteret, penè per vim, reuocatus fuiſſet. Sufficiebat quippe ad eius diei fortunam

ſeu

ſeu corrigendam, ſeu ſtabiliendam, ſi periculis neque temerè ſe Rex indueret, neque meticulosè ſubtraheret, & intra hæc duo momenta, Fortitudinem & Audaciam, prudentiâ temperaret.

10. Reliqua aciei pars, quæ vt extra pugnam, ita non extra metum, cedente ſiniſtrâ alâ ſtabat, ſolo Regis tam fortiter rem adminiſtrantis conſpectu, in gradu retenta eſt. Submiſſis verò opportunè in pugnam recentibus turmis, hoſtilis impetus tandem perfractus omnino elanguit. Nam quamquam Scythæ furiis veluti quibuſdam acti, inauditâ ferociâ cedenti equitatui, per mediam ſclopetariorum tempeſtatem impigrè inſiſterent: nihilominus vbi inde regia equitum, vulgò Raytarorum, cohors ferocienti hoſti obiecta, locum, quo occurrit immota obtinuit: inde in præteruectos mediam aciem à latere, tum tormenta maiora, tum pedeſtrium copiarum duæ turmæ Ductore Giza cōſtanter detonare cœperunt, planè hoſtis repulſus eſt. Multùm haud dubiè ex eius diei auſpicato euentu (quē haud immeritò, ſi rectè ſingula expendas,

victori-

victoriā dixeris) debetur viris bello fortiſſimis & ante omnes, propè ſoli Inuictiſſimo Principi, Regi Ioanni Caſimiro: totum autem ſingulari DEiparæ Virginis patrocinio. Obſeruatum ſiquidem à pleriſque, atque certi prodigii loco habitum eſt, quòd cùm tubicines ſacrum eidem Virgini hymnum decantarent, tum maximè hoſtilis ferocia langueret, cederetque. Cùm verò Tartaro vltimas vires exerente, Rex concepto ritè voto, diſertè ac palàm Auguſtæ Cœlorum Reginæ opem inuocâſſet, tum demùm iam iam vincenti hoſti, victoria è manibus extorta eſt.

11. Nox deinde ſubſecuta, quieſcente hoſte, tota in armis ac opere exacta eſt. Foſſis & aggeribus caſtra cingebantur, tormenta opportunis locis admouebantur, equeſtres copiæ in planiora deducebantur, ſingula in ſequentis diei concertationem maturè à Principe diſponebantur. His vniuerſus miles intendebat, cùm rumor primùm inter paucos leuiter ſeri, tandem palàm à pleriſque circumferri. Regem ac primores veritos, ne ab hoſte includerentur, fugæ conſilium cepiſſe, atque adeò aut

iam caſtris tacitè abiuiſſe, aut mox abituros. Auctores eius fabulæ fuiſſe creduntur aliqui; qui nuperæ ad Pilaucios cladis ac fugæ rei, grauiſſimo totius Reipub. in publicis comitiis iudicio notati, atque ad pœnas poſtulati fuerant. Nimirum, ſi fugam perſuaſiſſent, vulgatâ per plures culpæ ſimilitudine, deceſſurum aliquid de propria exiſtimabant ignominia. Ita nihil vilius publicâ ſalute apud eos, quibus vita propria inter delicias & flagitia acta, tantò carior eſt, quantò grauior mors. Horum artibus latè per caſtra trepidatio graſſari: tenebris animos ad fugam addentibus, omnia in Pilaucianæ cladis æmulationem inclinari. Id verò vbi Regi intempeſtâ nocte ad exiguam quietem compoſito nunciatum eſt, vt gliſcens malum ante flammam in ſcintilla opprimeretur, conſcenſo quamprimum equo in conſpectum exercitûs prodiit. Inferebat ſe publicis viis, atque prout quoslibet obuios nanciſcebatur, ad rem ſtrenuè proſequendam hortabatur: teſtatus, ſibi militique, neque animum vireſque ad pugnam deeſſe, neque ſpem ad fortunatum pugnæ exitum. Confirmatis

ab Re-

ab Rege animis, conſternatio fluctuantium aliquantùm quieuit: neque pauci induſtriâ Iaskonis Zaporouii, partes regias conſtanter ſecuti, ab fuga retracti. Qui verò ſub initia conſternationis maturè ſe è caſtris ſubduxerant, ex legum publicarum inſtituto, ab Rege condemnati. Eadem nocte ex Senatuſconſulto, captiuorum Scytharum quiſpiam cum Regiis literis ad Chanum ablegatus eſt. Obiiciebatur Barbaro ingrati animi flagitium, quòd qui paulò antè bello captus magnâ beneuolentiâ à Vladislao IV. Rege, & Ioanne Caſimiro tum Principe cultus, nullo inſuper lytro poſtulato ſuis liber reſtitutus eſſet, nunc antiquis fæderibus, atque iuriſiurandi religionibus proculcatis, rebellibus ſocium belli ſe adiunxerit: ditiones Poloni iuris cum armatis ingreſſus, Regem, regnumque per ſummam perfidiam oppugnaret. Exigebatur præterea vt Zaporouianam factionem deſereret, neque vltra, indignam Principibus viris rebellium ſeruorum defenſionem, proſequeretur.

13. Poſtero die vniuerſæ Scytharum copiæ, in caſtrorum conſpectu ad pugnam conſtitêre.

Coſaci verò ab ſuo Chmielnicio ad ipſa caſtra oppugnanda ducti. Cum aurorâ cœpit oppugnatio, & ſimul aliquot locis validè ac pertinaciter vrgebatur: ſummâ ferociæ in oppidum conuerſâ. Opportunus is locus caſtris regiis erat, tum aliis de cauſis, tum maximè quòd aquationem ſecuram redderet. Defendebatur à quadringentis Dragonariis fortiter ac conſtanter per plures horas; ſed inter cædes ac vulnera, cùm hoſtis occluſis ad pericula, vt aiunt, oculis in vallum niteretur, exiguus propugnatorum numerus copioſioribus egebat auxiliis. Non abſimili diſcrimine laborabant, qui ab alia parte caſtrorum aggeres tuebantur. Datur itaque Regio iuſſu ſignum, vt militare famulitium, quod nullis ſtipendiis publicis auctoratum caſtra ſequi ſolet, extra ordinem, ad aggeris caſtrenſis oppidique defenſionem concurrat. Pauci (vti ſacramento liberi) paruêre; tamen hi quoque ſatis momenti ad propugnationem attulêre. Continuabatur interea pertinaciter à perduellibus oppugnatio, & cum tempore periculum inualeſcebat: excitatis ſuggeſtibus, atque inde di-

rectis in oppugnatores tormentis, inſanâ feròcia aliis aliiſque ſuccedentibus, propè tranſcendebatur vallum. Vbi tantum periculi Rex aduertit, in patentes caſtrorum vias eques progreſſus, quaqua verſùm volitare, ad arma euocare, ne Patriam, ne Se deſertum, per nefas vellent, obteſtari ac propè deprecari. Tanta inde animorum commutatio ſecuta, nouuſque in prælium ardor, vt ab omnibus nullo diſcrimine ad vallum curreretur. Militare famulitium etiam vltra ſpem auſum: eruptione in campum tentatâ, inſigni clade hoſtem affecit. Pars, ad oppidum conuolârant, ducem P. Lisiecki Societatis IEſu Sacerdotem, ſecuti: qui à Caſtellano Camenecenſi Lanckoronski Lublinum ad Regem ablegatus, tunc fortè in caſtris agebat. Hic cùm Rem, non tantùm Patriæ, ſed etiam Chriſtianam, eò anguſtiarum redactam vidit, contra Machometanos Schiſmaticoſque, arma ſacrâ manu tractare non veritus, auctor ductorq; in hoſtem aperto campo excurrendi fuit. Succeſſit feliciter eruptio: ingens ſtrages Cozacis atque Tartaris illata: quatuor enim millia ho-

ſtium

ſtium iſthic cecidiſſe perhibetur. Vexilla tria extorta, foſſis aggeribuſque excitatis hoſtes exacti, fortiſſimi quique eorum, cæde abſumpti. Ipſe Lisiecki, cùm duas horas fortiter æquè ac feliciter, conſilio manuque pugnam vrſiſſet, tandem vulneribus nouem confectus occubuit. Simili & causâ, & animi ardore, ſuccesſûſque felicitate, P. Rośćiſzewski, miles olim bellis Germanicis clarus, tum in ordine Minorum ſtrictiorem diſciplinam profeſſus, cum ſimili gregariorum manu hoſtem vehementer afflixit. Non inæqualis fuit alterius ab ipſis caſtris eruptionis euentus: vbi gregarii famulitii aliquot turmæ, adſcitis in ſocietatem gloriæ mille ducentis ſclopetariis, hoſtes ab ſtagno caſtra oppugnantes fortiter aggreſſæ, feliciter fuderunt, è latibulis hortorum fugârunt, vexillis duobus ſpoliârunt, foſſis exegerunt, partem in aquas compulerunt. Sex millia Cozakorum, quatuor Tartarorum, illo die periiſſe Chmielnicius ipſe auctor fuit. Tantum porrò indè alacritatis acceſſit, vt paſſim eruptiones per interualla à calonibus inſtaurarētur: ſemper felici ſucceſſu, nec niſi ſaturi hoſtium cæde

de in caſtra redibant. Fuère, qui cenſuerunt alacritate animorum vtendum eſſe; imperaretur gregariæ illi toties victrici turbæ equos conſcendere: atque iunctis viribus, vniuerſæ copiæ aperti prælii fortunam tentarent. Forte profectò conſilium: reiectum tamen; quòd ſecuriora placerent maturè perpendentibus, quàm facilè foret hoſti numero valenti, Regias copias cingere atque includere. Eodem die captiuus, nuper ad Tauricanum expeditus cum literis, reſponſum huius ſententiæ retulerat à Principe ad Regem. Veniſſe ſe in ditiones Polonas non hoſtem ſed hoſpitem, paratum pridem cum Rege ac Repub: ex antiquo fædere amicitiam colere. Spretum quidem hactenus, ac vix hominum numero habitum, cùm ab Regis inauguratione nullâ legatione interpellatus eſſet: verùm iam ſatis patere, quanto vſui eſſe poſſet ſua erga Regnum Poloniæ amicitia. Opportunum proinde accidiſſe, quòd Rex in caſtris præſens eſſet: cum quo amicitiam & fædera inſtaurari cuperet. Effecturum ſe, vt Cozaci ab armis diſcedant, modò ſibi ex vetere fæderum formulâ à Polo-

nâ Repub: ſatisfiat. Eam in rem deſtinatum ab ſe eſſe Wezyrum, cum quo ſupremꝰ Regni Cancellarius locum condiceret, & componendæ pacis rationem ex æquo initam, Principibus confirmandam traderet.

13. Eius conſilii promiſſique exequutio in veſperum propè dilata eſt à Barbaris, fortaſſe quòd rem bello tranſigi poſſe interim nondum deſperarent. At vbi tantâ cum ſuorum clade reiectâ oppugnatione, ſpe ſuâ minores, plus regiis animorum, quàm pro numero, aduerterunt: ad feſtinatam fœderum tractationem ſeriò omnes neruos intenderunt. Conuenêre medio, conſpicuòque inter vtraque caſtra loco, Regni Cancellarius, Tauricanique Wezyrus. Petiit is nomine ſui Principis; vt Zaporouiorum prætenſionibus ſatisfieret: ſtipendia ex veteri fœdere promiſſa, ſed ab Vladislao IV. hactenus denegata, ex fide Tartaris annumerarentur: Legionibus Scythicis domum redeuntibus, quà vellent excurrere, in omnes partes libera, non modò pabulatio, ſed etiam prædatio permitteretur. Reiectâ vlteriore horum poſtulatorum in ſequentem diem deliberatione

ratione, nox armis infeſta fuit. In caſtra regia locis diuerſis aliquoties irrumpere hoſtes conati, ſemper cum clade reiecti. Proximâ deindè luce rurſus fæderum arbitri conuenêre. Ab Rege Palatinus Kiiouienſis, Regni Cancellarius, & M. D. Lit. Procancellarius: ab Tauricano Regulo Wezyrus ſupremus, Szeferkazius, & Sulimazius Agæ. Superuenit deindè Chmielnicius, qui pro ſe ſuiſque poſtulabat, vt hactenus commiſſa pro non commiſſis haberentur, neque in vllam conſultationem deinceps deducerentur: tum alia exercitûs ſui partim ciuilem rem, partim religionem concernentia poſtulata explicabat, promptum omnino ad ineundam concordiam animum palàm teſtatus. Poſt longam inter arbitros concertationem, in eas tandem conditiones vtrinque conuentum eſt. Chmielnicius cum Cozacis fidem ſuam iureiurando Regi ac Reipub. coram Senatoribus, conceptis verbis obſtringeret, Regemque publicè deprecaretur. Rex verò præteritorum de integro veniam indulgeret. Regius exercitus, qui ad Zbaraſiam obſidebatur, liber abſque fraude & da-

mno quamprimum dimitteretur. Zaporouianæ legiones præſcripto olim numero legerentur, atque ad veterum legum inſtituta ordinarentur. Cum Tartaris pax iuxta antiqua pacta deinceps foret; ita vt illi quidem ab excurſionibus in ditiones Polonas omnino abſtineant; & contra regios regnique hoſtes, cùm neceſſe foret, de proprio militent: Reſpublica verò, vetuſto more ſtipendia in ſingulos annos deinceps numeret, atq; hactenus detenta reſtituat. Vniuerſa hæc intra triduum tranſacta. Pecuniæ pars quæ haberi potuit numerata, vice reſiduæ obſes Denoſius Gubernator Sokalenſis datus, viciſſimque acceptus Aga vir inter ſuos dignitate & rebus geſtis celebris: nimirum ne interea aliquid à Tauricano contra pactorum fidem ac religiones tentaretur.

14. XVI. Kal. Sept. cum primoribus ſui exercitûs Chmielnicius in campum ad Senatores progreſſus, fidem ſuam iuramento obſtrinxit. Vrgebat præterea acriter, vt quæ capita ab Rege in gratiam Zaporouiani militis conceſſa fuerant, Senatorum iuramento firmarentur: ſed Palatini Kiiouienſis & Procancellarii Sapiehæ

pruden-

prudentiâ expugnatus, ſatis habuit, quòd illis pactis nomen ſuum Rex ipſe ſubſcripſiſſet. Cum Tartaris quoque haud paulò grauior dimicatio fuit: quòd neque legiones ab excurſione reuocare, neque caſtra loco priores mouere vellent. Tandem vtrumque quamquam inuitis, extortum eſt. Certatum deinde inter Principes muneribus per legatos. Chanus miſit Regi Scythicum equum, pro gentis more ornatum, quem legatus Aga militari oratione Regi commendauit: Rex verò per Andream Midokowski generoſiſſimum equum, pretioſis phaleris inſtructum Regulo miſit. Regulus ſplendido ornatu atque comitatu inter Sułtanum Gałgam germanum, & Sułtanum Maradyn, ante tentorium conſidens, magna cum beneuolentiæ ſignificatione Legatum accepit.

15. XIII. Kal. Sept. matutinis horis, dato Cozacis obſide Gubernatore Cracouienſi, Chmielnicius ad caſtra tentoriumq; regium venit, atque in terram prouolutus ad pedes regios toto oris geſtu, verbis, lachrymiſque ipſis veniam poſtulauit. Proteſtabatur dolere ſe vehementer, quòd huius tandem facinoris occaſione,

in conſpectum Regiæ Maieſtatis peruenerit, qui quantum in ſe eſſet, ſemper maluiſſet, cum integræ illæſæque fidei conſcientia, quàm cum flagitiosè actorũ pœnitentia ad pedes Suæ Maieſtatis procumbere. At quoniam quæ infecta fuiſſe neceſſum erat, iam eſſent facta, eorum ſe pœnitentiâ ductum ad clementiam Regiam confugere, ibique veniam præteritis poſtulare. Reſpondit Regio nomine Procancellarius Lituaniæ. Clementiæ Regiæ curam præcipuam eſſe, ne culpam pro merito deprecantibus, locus ad veniam deſit. Indulgere itaque ſuam Maieſtatem, vt ad iuratam iam olim fidem, promiſſaque toties Patriæ obſequia ex tanto interuallo ſeſe cum ſuis rurſus recipiat. Curaret modò diligenter, vt præteriti flagitii indignitatem ſe ſatis agnoſcere, vel inde vniuerſis probaret, ſi vitam ac fortunas ſuas pro Patria deinceps conſtanter deuoueret. Quæſitus deinde de copiis, cladis acceptæ numero, cæteriſque rebus; ſingula ex fide narrabat, quæ ſuis hîc locis inſerta habentur. Denique accepto Regio mandato vt Cozacos quamprimum inde in ſolitas ſtationes recipiat, facturum

rum

rùm ſe reſpondit, fecitque ſine morâ, ab Rege ad ſuos reuerſus. Eodem die pomeridianis horis Tauricanus Regulus Tarnopolim verſùs ſuos duxit, leucæ vnius itinere ante noctem progreſſus. Rex verò nonniſi poſtridiè mouit, atque ad Glinianos, dies aliquot in ſtatiuis hæſit. Operiebatur enim nuncium de Zbarazianæ obſidionis ſolutione, & Scythicarum copiarum vltra regias ditiones abitu. IV. Kal. Sept. Leopolim attigit, ibique ciuitate ex inſperata pace, in varia lœtitiæ ſigna effuſiore, Numini optimo pro fortunato eius expeditionis ſucceſſu publicè gratias perſoluit. Aliquot deinde interiectis diebus affuêre æternitate digni Heròés, capita eius exercitûs, qui ſeptem hebdomadis arctiſſimâ obſidione cinctus, hoſtem non modò ſuſtinuit, ſed ſæpiùs profligauit, ad deſperationem expugnationis adegit. Verùm hæc alterius narrationis materia futura eſt. Rex tum omnes ſingulari beneuolentiâ proſequutus; tum præcipuè Palatinum Ruſſiæ Ducem Wiſzniewiecium, veteres ſuſpiciones, quibus æmulorum calumniæ impleuerant, nouis beneficiis obliterabat. Quæ deinceps

ceps vel ad Magnatum diſſidia componenda, vel ad recenſendum quartanæ legionis militem, vel ad ordinandum Reipub. per comitia ſtatum, variorum operâ à Principe geſta ſunt, narrabunt pro merito alii. A me quia ſola belli huius narratio ſuſcepta eſt, cum ipſo belli fine, deſinat neceſſe eſt.